



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Disputatio XXII. De judicij evidentis reflexi supra objectivam
Probabilitatem, æqualem, aut minorem, veritatis opinionis sufficientiâ,
suspensio omni judicio directo subjectivè probabili de veritate ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

honestas est tantum probabilior, habeo necessitatem formandi iudicium directum subjective probabilius de honestate. Immo sicut cum honestas est moraliter certa, satis per nos est alterutrum iudicium, nempe vel solum reflexum evidens de objectiva certitudine morali honestatis, vel solum dire-

ctum subjective moraliter certum de honestate: ita cum honestas est tantum probabilior, satis erit alterutrum iudicium, vel solum directum subjective probabilius de honestate, vel solum reflexum evidens de objectiva probabilioritate honestatis.

DISPUTATIO XXII.

De iudicij evidentis reflexi supra objectivam Probabilitatem aequalem, aut minorem, veritatis opinionis sufficientiâ, suspensio omni iudicio directo subjective probabili de veritate opinionis.


PROOEMIUM.

SUMMARIUM.

Quid dixerim? n. 1.

DD. citandi stant pro me, n. 2.

Nulla est peculiaris difficultas de sufficientiâ solius reflexi supra minorem probabilitatem objectivam, quæ non oriatur a licito usu opinionis minus probabilis, n. 3.

N. 1.  *IXI d. 21. sect. 2. §. 1. conclus. 3.* quod ne quis formaliter peccet, & ut quis formaliter honeste operetur, satis sit reflexum certum de æquali, immo de minori, ut dixi *conclus. 4.* iudicium. Hoc mihi in præfenti probandum.

N. 2. Ne autem Doctorum verba ex industria truncasse videar, fateor plura quæ ex DD. allaturus sum, probare satis saltem esse iudicium de probabilioritate, quod *disp. antec.* probavi. At simul fateor, quod plurimi textus citandi stent etiam pro iudicio de æquali, immo de minori probabilitate: hoc autem eo magis est verum, quo magis manifeste *TT.* citandi excludunt tamquam necessarium ipsum iudicium directum, sive deinde solum reflexum sit de objectiva maiori, sive de æquali, sive de minori probabilitate: etenim per hoc quod excludant directum, opponuntur Neotericis tuentibus iudicium directum semper esse necessarium.

N. 3. Addo, quod nulla sit peculiaris difficultas contra iudicium reflexum de æquali, immo minori probabilitate, quæ non oriatur ex licito usu opinionis probabilis, quas tamen difficultates satis diffuse solvimus supra. Quod si licet sequi iudicium directum subjective minus probabile practice, licebit quoque sequi reflexum de objectiva minori

probabilitate practice: si verò illud non licet, nec hoc. Similiter, si licet sequi iudicium directum subjective practice probabilius, licebit quoque sequi reflexum de objectiva practice probabilioritate: si verò illud non licet, nec hoc: ergo nulla est peculiaris difficultas contra iudicium reflexum de minori, aut æquali objectiva practice probabilitate, quæ non oriatur a licito usu opinionis minus, aut æquè practice probabilis subjective.

SECTIO I.

Authoritates pro tertiâ, & quartâ conclusionem, relatâ Disp. 21. sectione 2. §. 1.

§. I.

Ex mente Pontificum, & Cesarum.

SUMMARIUM.

Adrianus ex solo iudicio de probabilitate opinionis opposita processit ad solutionem matrimonij, n. 4.

Non formavit iudicium directum de veritate opposita opinionis, n. 5. 6.

Si formavit, tanto magis urgentur Contrarii, n. 7.

Si necessarium est iudicium directum, sequitur, quod Adrianus minus probabilis assensus sit, n. 8.

Adrianus videtur sub solo iudicio reflexo de probabilitate minori opposita opinionis, unum cum directo de falsitate ejusdem, processisse, n. 9. Ecclesia, & Pontifices laudant utramque contradictoriam sepe ut probabilem, n. 10. Sixtus IV. & V. & Urbanus VIII. recurrunt ad solam probabilitatem objectivam, ibid. Ex

Ex iure Canonico ignorantia probabilis excusat, n. 11. & 12.

Referuntur aliqua opiniones contradictonie, quas

Pontifices vocant probabiles, n. 13.

Ius Civile ad solam verosimilitudinem, aut com-

munitatem opinionis appellat, n. 14. 15.

Opinio communis habetur pro lege, ibid.

Excusat, ibid.

Iuriste appellant ad iudicium reflexum de pro-

babilitate, n. 16.

Utrumque ius exigit certitudinem, ut quis te-

neatur stare lege, n. 17.

Nulla datur lex certa obligans ad iudicium di-

rectum, ibid.

babili de veritate.

Sed contra 1. quia jam ex hoc habeo, N. 6.

quod licet sequi iudicium directum, aut minus probabile de veritate, quod a Probabilioris negatur.

Contra 2. quia Adrianus non formavit iudicium directum de veritate opinionis Caietani, quam falsam putavit, & falsam putans processit ad matrimonii solutionem, ergo vel tunc processit ad licitam solutionem, si pensio omni iudicio directo de veritate opinionis Caietani, & formato solo reflexo de eius probabilitate, & quidem minori; vel si aliquod directum concepit iudicium, non fuit de veritate, sed de falsitate opinionis Caietani; ergo si Pontifici licitum fuit operari sub iudicio evidenti de objectiva, & quidem minori probabilitate veritatis opinionis Caietani; quin, si illi licitum fuit operari sub eo iudicio reflexo unito ipsi iudicio directo subjective sibi, etsi minus probabili de veritate opinionis Caietani, multo magis licebit operari, vel sub solo reflexo (unito, aut separato ab omni directo) de aequali probabilitate, vel operari sub solo reflexo diviso ab omni directo.

Contra 3. quia Adrianus, dum matrimonium solvit, vel assensus fuit directe probabilius sue opinioni neganti se posse solvere, vel assensus fuit directe soli opinioni Caietani subjective sibi minus probabili affirmanti se posse solvere; vel simul, & semel directe assensus fuit utrique opinioni contradictorie; vel neutri directe assensus fuit. Si hoc ultimum dicatur, habeo intentum, quod suspensio omni iudicio directo subjective probabili de opinionis veritate, licitum erit operari sub solo iudicio evidenti reflexo de objectiva probabilitate. Si dicatur tertium, dicetur chimera, implicat enim simultanea coexistentia duorum assensuum, etsi subjective probabili, ad invicem contradicentium. Si dicatur secundum, dicatur, quod Adrianus iudicaverit veram opinionem Caietani, sibi minus probabilem; quod a Probabilioris dici non potest; immo, quod iudicaverit veram, quam iudicabat falsam, quod implicat in terminis. Si dicatur primum, dicatur longe plus, quam modo petimus; dicatur enim, quod Adrianus sub iudicio reflexo de objectiva minori probabilitate veritatis opinionis Caietani, stante simul iudicio directo sibi subjective probabili de veritate proprie, adeoque de falsitate alienae, processit ad licitam solutionem. Longe autem plus est hoc, quam unice concedere licitum operari sub solo iudicio reflexo diviso ab omni directo de veritate

N. 4. Primus est Adrianus 6. cui cum supplicatum fuisset, ut matrimonium ratum dissolveret, eique dictum fuisset, quod Eminent. Card. Caietanus in ea erat opinione, ut iudicaret Papam posse illud dissolvere, Adrianus respondit, se dare, quod posset, se tamen credere, quod nihil posset, ut narrat P. Rebellus part. 2. lib. 1. qu. 15. sect. 3. n. 4. Ecce tria in hoc textu evidenter. Primum, quod Adrianus ad matrimonii solutionem processit ex iudicio certo de probabilitate opinionis Caietani; & quidem de minori probabilitate, nam propria opinio erat Adriano probabilior; ergo licet operari sub iudicio evidenti de certa, etsi minori, probabilitate veritatis opinionis. Secundum, quod Adrianus suspendit iudicium directum de veritate opinionis Caietani; quin immo habuerit iudicium directum de eius opinionis falsitate; etenim opinionem Caietani, juxta quam operatus est, iudicabat falsam, iudicabat enim se non posse dissolvere, simul tamen iudicabat probabilem; ergo non tantum licet operari sub iudicio reflexo de minori probabilitate veritatis opinionis, suspensio omni directo de eius veritate, quin presente iudicio directo subjective probabili de falsitate opinionis. Tertium est, quod haec omnia licite praestiterit Adrianus; nemo enim, nisi excors sit, dicit Adrianum peccasse mortaliter dissolvendo matrimonium ex iudicio reflexo de objectiva, etsi minori, certa tamen probabilitate de veritate opinionis Caietani, quam putabat falsam.

N. 5. Dices Adrianum suspendisse tunc iudicium directum subjective sibi probabilius de veritate propriae opinionis stantis pro non possibilitate dissolutionis matrimonii; & concepit iudicium directum subjective probabile de veritate opinionis Caietani stantis pro solutione matrimonii; ergo operatus est sub iudicio directo subjective pro-

- ritate propriæ, & falsitate alienæ.
- N. 8. *Contra 4.* quia Adrianus, vel suspendit omne prorsus iudicium directum de veritate propriæ, & falsitate alienæ; & de veritate alienæ, & falsitate propriæ, vel non? Si suspendit; ergo habeo, quod hic unice intendo, nempe sub solo iudicio reflexo de certa probabilitate veritatis opinionis Adrianum licite operatum; si non suspendit; quæro, quod iudicium directum conceperit? an iudicium subjective probabile de veritate opinionis Caietani? & tunc Probabiliorista dabunt, quod Adrianus licite assensus sit opinioni directæ sibi minus probabili, eamque prudenter iudicaverit veram: an iudicium directum subjective probabile de falsitate opinionis Caietani? & tunc dabunt, quod non tantum liceat operari sub iudicio evidenti reflexo de objectivâ minori probabilitate, suspendo omni directo subjective minus probabili de veritate opinionis, quin dabunt, quod liceat, stante etiam iudicio directo subjective probabili de falsitate opinionis. Rursus, an habuit iudicium directum subjective probabilius de veritate propriæ? tunc autem, cum idem æquivalenter sit iudicium de veritate propriæ, ac de falsitate alienæ, sequitur, quod modo dixi, quod cum iudicio reflexo de objectivâ minori probabilitate veritatis opinionis alienæ, stante simul cum iudicio directo subjective probabili de veritate propriæ, seu quod idem æquivalenter est, cum iudicio directo subjective probabili de falsitate alienæ, Adrianus licite operatus sit. An habuit iudicium directum subjective probabile de veritate alienæ? hoc autem dici non potest, tum quia est contra textum, in quo dicitur, quod Adrianus iudicaverit se nihil posse; ergo iudicavit opinionem Caietani esse falsam: tum quia est contra Probabilioristas negantes physicè, & multo magis licite nos opinari, & operari posse juxta minus probabilem, stante probabiliore.
- N. 9. Confirmo: Adrianus licite solvit matrimonium, nemo enim mortalis peccati eum dampnare audebit: ergo solvit sub iudicio certo de probabilitate opinionis Caietani, quam simul falsam putabat: ergo ad licite operandum satis est reflexum iudicium certum de objectivâ probabilitate veritatis, et si unitum iudicio directo subjective probabili de opinionis falsitate, & suspendo omni directo de veritate: ergo multo magis satis est illud idem iudicium reflexum divinum ab omni iudicio directo subjective probabili, tum de veritate, tum de falsitate opinionis, juxta quam quis operatur. Aliam

Adrianum doctrinam infra dabo.

Secundus est Sixtus IV. & V. ut notavi N. d. 11. a num. 124. ad 128. & num. 186. immo plures Pontifices, & ipsa Ecclesia approbat sæpe ut probabilem utramque opinionem contradictoriam; & duplicem doctrinam; & libros inter se contradicentes; & quamvis Pontifex unam tantum iudicet veram, & sibi probabiliorē, adhuc tamen permittit, laudat, & consulit aliam ut in praxi tutam. Quæro autem, quid permittat, laudet, & consulat? non utramque ut veram, evidenter enim licet hoc implicare; ergo utramque ut probabilem, seu certam utriusque probabilitatem consulit, & laudat: ergo objectiva veritatis probabilitas præcisa à veritate est digna laude, & honesta; ergo satis ad honeste operandum. Etenim ea probabilitas satis est ad honeste operandum, & opinandum quæ à supremo Ecclesiæ Capite laudatur, & approbatur: sed dum laudatur utraque contradictoria probabilis, non laudatur subjective probabilitas, seu veritas probabilis, sed objectiva probabilitas, seu probabilitas veritatis; ergo hæc satis est ad operandum. Minor probatur, tum quia implicat, ut utraque contradictoria, etsi probabilis, sit vera; tum quia implicat, ut utraque sit subjective simul in eodem intellectu; non autem implicat, ut utriusque contradictoriæ probabilitas objectiva sit in mente Papæ laudantis: ergo quod Papa laudat, est probabilitas objectiva veritatis opinionis: ergo objectiva probabilitas satis est ad laudabilem, adeoque honeste operandum. In idem recidit, quod d. 11. j. 8. n. 176. dedi ex Urbano VIII. qui petenti dispensationem respondet utendo reflexâ VIII. negativâ, non videri sibi necessariam; ex quâ responsione petentes dispensationem interesse potuerunt, licitum sibi eâ non habita operari.

Tertius est in Cap. Apostolice 9. de Cler. Err. N. com. ubi habetur: *Perum quia tempore suspensionis ignari celebrastis Divina, vos redit ignorantia probabilis excusatos. Ceterum si forte ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit propter quod gratia dispensationis egeretis, eam vobis de benignitate Apostolicâ indulgemus.* Ecce 1. quod ignorantia probabilis excuset. Ecce 2. quod Papa ignorantiam probabilem opponit crassæ, & culpabiliter vincibili; atque adeo ignorantia probabilis juxta Pontificem coincidit cum invincibili, nam eam opponit crassæ, & culpabiliter vincibili. Ecce 3. quod si ignorantia probabilis excuset, multo magis certum de eadem iudicium excuset: ergo sicut, juxta Papam, non est necessarium ignoran-

ignorantia sit probabilior, sed satis ut sit probabilis, ita neque necesse est, ut iudicium sit de probabilioritate, sed satis de probabilitate.

N. 12. Quartus est ex cap. 4. de Sent. Excom. ubi legitur hoc Papæ responsum: *Si quis in Clericum nutriendum comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico presentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit.* Ecce 1. posita ignorantia probabilis, quod talis homo comam nutriet, & ideo ignoraretur, quod esset Clericus, dicit Pontifex, quod iniiciens manus violentas in illum non incurrat excommunicationem: ergo, juxta Pontificem, ignorantia probabilis excusat à sacrilegio, adeoque ab excommunicatione, quæ tunc sine sacrilegio non incurritur. Ecce 2. non dicit Pontifex, si probabiliter iudicaverit non esse Clericum, sed dicit, si esse Clericum ignoraverit, quod formaliter sumptum significat suspensionem iudicii probabilis, & supponit reflexum cadens supra iudicii directi omissionem; nempe certum mihi est, quod ignoro esse Clericum; non autem iudico non esse Clericum: ergo iudicium reflexum de ignorantia probabilis, seu de omissione iudicii directi probabilis excusat.

N. 13. Quintus est ex cap. Capellanus 4. de Ferijs, ubi dicitur unam opinionem esse potius aliam, nempe quæ meliori nititur rationi. Et in cap. cum Martha de Celebratione Missarum §. qui sibi, relatis tribus sententiis de conversione aquæ cum vino in sanguinem Christi D. affirmantem vocat probabiliorē, & nullam damnat, ut notat Glossa. Et in cap. Litteras 13. de Restit. spol. relatis duabus opinionibus dicit se nullam damnare. Et in Clementinā de Summā Trinitate in fine, sententiam tuentem, quod parvulis, & adultis gratia sanctificans, & virtutes in Baptismo conferantur, vocat probabiliorē, nec damnat oppositam. Ecce 1. quod damnanda esset, immo damnata esset eo ipso minus probabilis, si vera est doctrina Neotericorum, quod sola probabilior sit probabilis, & quod omnis minus probabilis non sit minus probabilis. Ecce 2. Jus Canonicum nihil prorsus dicit de veritate opinionum, quas refert, sed unice fert iudicium de solā probabilitate, aut probabilitate, immo de minori probabilitate, quam eo ipso, quod non damnat, permittit: ergo ex iure Canonico ut licite opinemur, & operemur, satis est solum reflexum de probabilitate, aut probabilitate iudicium. Vide Bordonum de opinione probabilis à n. 80. ad 93. & cap. 14. n. 49. le-

ges acutum, sed forte exorbitans ejusdem Authoris contra M. Mercor. lemma, vocantem Probabilitas, Angelos tenebrarum ait enim Bordonus: Non mirum si quæ de delectu ciborum asserit Tridentinum, non intellexerit post prandium.

Tandem audiendi sunt Casares in iure N. Civili; etenim l. in his 5. ff. de solutione, agens de debitorum solutione ait: *Post hunc ordinem, potior habebitur propria, quam aliena causa, veluti fideiussoris. Quod veteres idcirco definiunt, quod verisimile videretur diligentem debitorem admonitum, ita negotium suum gesturum fuisse.* Ecce jus Civile ad puram objectivam verosimilitudinem appellat.

Idem convincitur, quoties jus Civile ad N. opinionem communem appellat, adeo ut solum iudicium reflexum de communitate opinionis, etsi separatum à directo de veritate opinionis communis, satis sit ad operandum. Hinc opinio communis habetur pro lege, ut constat ex cap. Veniens. de verb. signific. & ex Jafone in L. pen. Codice de Pælli, & ex Surdo decis. 229. & ex Rotā decis. 94. n. 10. & ideo dicitur, quod à comuni opinione non sit recedendum, aut sine lege, aut sine efficaci ratione, ut docent Navarr. P. Azor 1. part. lib. 2. cap. 17. qu. 6. P. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 9. n. 9. Rotā part. 5. decis. 122. Similiter dicitur, quod opinio communis excuset, & licitum faciat, L. Siquis 3. ff. ad Senat. ergo iudicium reflexum de objectivā communitate opinionis, etsi quis omne directum de ejus veritate iudicium suspendat, ne materialiter erret, juxta utrumque jus satis est.

Accedit dictum in iure satis celebre, ubi dicitur: *Credendum est paucioribus verisimiliora deponentibus melius informatis, quam pluribus, quibus dictæ qualitates desunt, ut ait Bordonus tom. 5. in Praxi Crimin. cap. 32. n. 4. ex Farinacio, & aliis; immo magis mortuis, quam vivis, ait Farinac. qu. 65. n. 190. & Bordon. n. 48.* Ecce Juriste, & Theologi appellant ad iudicium reflexum de majori probabilitate pauciorum melius informatum: per hoc autem, quod jus dicat, *credendum*, non obligat credere directe esse verum, quod illi dicunt; sed satis est, ut credam certo eos cum maiori verosimilitudine loqui, præscindendo à iudicio de veritate ab illis asserta.

N. Demum huc facit, quod habet tum jus Civile, L. 1. Cod. de Mandat. Princ. Si quis aſſerat cum mandatis nostris secretis se venisse; omnes sciant nemini quidquam, nisi, quod scriptis probaverit, esse credendum. Tum jus Canonicum cap. Cum in iure de Officio

Officio Judic. Deleg. Nisi de mandato Sedis Apostolicæ certus extiterit, exequi non teneris, quod mandatur. Ecce 1. utrumque jus præcepti certitudinem requirit, ad hoc ut quis parere teneatur; quod ipsum nos expresse docuimus dicendo, quod lex, nisi certa sit, non obliget. Ecce 2. quod si requiritur certitudo, ut teneat obedire, requireretur quoque certitudo legis obligantis ad assensum directum veritatis, ut teneat directe assentiri: sed hæc lex ab Adversariis non trahitur: ergo non teneor ad assensum directum; nam ex utroque jure non teneor lege, nisi hæc certa sit; ergo non teneor ad judicium directum; immo cum sola probabilitas sit certa, non autem veritas, hinc est, quod potius tui judicio reflexo de certâ probabilitate veritatis, quam judicio directo incerto de veritate niti debeo, dum operandum est.

§. II.

Ex mente D. Augustini, & D. Thomæ.

SUMMARIUM.

- S. Augustinus contentus est solum de probabilitate ferre judicium, n. 18.
 S. Thom. ait, satis esse conjecturalem probabilitatem, non dicit veritatem, n. 19.
 S. Hieronymus nititur soli judicio de probabilitate, n. 20.
 Judici satis est judicium reflexum de probabilitate reatus, n. 21.
 In pluribus materiis non datur minus probabilis, n. 22.
 S. Thom. insert tutum esse eligere bonum, quia lex de eligendo meliori Prælo Regulari non conceditur ab omnibus, n. 23. 24.
 Hoc autem, quia judicat probabilem opinionem contrariam sue iuentem satis esse, ut eligatur bonus, ib.
 Solvit argumenta per probabilitatem opinionis opposita, ib.
 Conjungit cum veritate propria judicium reflexum de objectivâ probabilitate aliena, ib.
 S. Thom. sæpe vocat probabiles opiniones oppositas propriæ, quia tunc tales erant, ait M. Soto, n. 25.
 Quid S. Thom. hodie diceret de principio Anti-Probabilistarum, quod nulla opposita propria sit probabilis, ib. & n. 26.
 Falsum omnino juxta S. Thom. est, quod sola probabilior sit probabilis, sola tutior sit tuta, n. 27.
 S. Thom. solo judicio reflexo de opinionis tutioritate contentus est, n. 28.
 Opinio, quod Missa pro sit damnatis, est hodie antiquata, à n. 25. ad 29.
 Si licet in materiâ speculativâ ad solum refle-

xum judicium de probabilitate appellare, etiam in practicâ, n. 29.

Mira D. Thomæ modestia, n. 30.

Resolvit per solum judicium reflexum, an aqua frangat jejunium naturale, ib.

Utitur solo judicio reflexo, quod non judicet expetere, ut quis specificet peccata, si ex examinando deleteretur in illis, n. 31.

Plures dedi textus ex S. Aug. d. 11. scilicet 1. §. 3. necnon ex S. Thom. ibid. quibus remitto Lectorem. Vnum tantum rogo, ut consideret, quod S. Augustinus relatâ duplici opinione, unâ tueri licitum in die Cœnæ Domini homini non jejuno Eucharistiam sumere, (quæ tamen opinio, hodie antiquata, rejecta est, ut falsa) alia negante licere, ait S. D. se nulli contradicere, contentus solum de utriusque probabilitate ferre judicium: idem præstat loquendo de quotidiana communione; utramque tam affirmantem, quam negantem approbat ut probabilem; & nullam ut veram; & requirit cuique, ut sequatur, quam maluerit, dicens, quod quilibet honeste operabitur; sed non ex judicio veritatis, quia omne judicium directum suspendit; sed ex reflexo probabilitatis; ergo hoc satis est ad honestam operationem.

Accedo ad S. Thom. omittis locis, quæ dedi d. 11. à n. 21. alia asserens. Primus textus est ex 1. 2. qu. 105. art. 2. ad 8. ubi obijciens sibi, quod non sit rationi consona lex Dei Deuteronomij 19. asserens, standum duobus, aut tribus testibus, quia non tantum duo, vel tres, sed etiam plures mentiri possunt, ait: Dicendum, quod in negotiis humanis non potest haberi demonstrativa probatio, & infallibilis, sed sufficit aliqua conjecturalis probabilitas, secundum quam Rhetor persuadet.

Ecce 1. S. Thom. non dicit, sufficit conjecturalis veritas, aut probabilis veritas, sed conjecturalis probabilitas: ergo sufficit evidens judicium de probabilitate.

Ecce 2. ut rectè præclarus Salmantinus Vniversitatis Doctor, P. Franc. Solis, ex Fens Ordine Redempt. Captiv. in Censurâ præliminari ad Dissertat. Theologicam de Probabilitate editam à Doctore Franc. Perca: Si de in materiâ justitiæ, & in ferendo judicio, à quo grave passim damnum oriri potest, D. Thomas contentus est, ut Judices conjecturali probabilitate procedant, et si in materiâ justitiæ usus opinionis minus probabilis non liceat, quin Judices tenentur ad probabiliorrem, sicut Ministri Sacramentorum ad tutiorem, eo ipso non est opus tanta judicii firmitate, & claritate, ut in illo manifesta veritas

ritas eluceat; hoc enim vix reperiri est in eo, qui conjecturæ probabilis nititur. Post hæc subdit idem D. Solis celebrem D. Hieronymi textum omnino legendum, & memoriam commendandum: cum enim S. D. docuisset, virum, qui ante Baptismum duplici uxori nupsit, posse sine culpa sacris Ordinibus initiari, & de eâ opinione ut nimis laxâ, à Chrysogono Rufini sectatore reprehensus fuisset, hæc habet lib. 1. contra Rufinum circa finem: *Cum brevi sermone respondebo; habent libellum, quem in crimen vocant; ille respondeat, & scripto scriptis arguat. Quid anseritatis frontis, & contractis, rugatisque naribus concava verba trutinantur, & sanctitatem apud vulgus ignobile simulato rigore mentitur...* Hæc dicimus, non quod ipsi propitio Christo hæc questione teneamur, sed interrogati à Fratribus, quid nobis videretur, respondimus, nulli præiudicantes sequi, quod velit; nec alterius decretum nostrâ sententiâ subvertens, neque enim ambimus Sacerdotium, qui latemus in cellulis. Hæc Maximus D. qui non ita mordicus suæ sententiæ adhæret, ut eam evidenter probabilior, aut absolutè veram iudicet, nec oppositam in contemptum traducit, sed quâdam mentis docilitate ita suam mentem exponit, ut oppositæ opinioni non præiudicet, quin integrum relinquit cuique sequi, quod voluerit. Hæc claudatus M. Solis. Addo ego quod S. D. de suâ sententiâ dicat, eam alterius decretum non subvertere, sed si directè assensus fuisset suæ opinionis, alterius decretum, seu opinionem subvertisset, nam iudicium proprium directum subvertit iudicium directum alienum: ergo suæ opinioni non fuit assensus directè, sed tantum reflexè, nempe certæ probabilitati suæ opinionis; certa autem meæ opinionis probabilitas non evertit veritatem alienâ.

Ecce 3. ut ad S. Thom. redeamus, ait Iudici satis esse conjecturalem probabilitatem: ergo non est necessarium iudicium directum de veritate absolutâ. Confirmo, & explico. Detur duplex pro eodem crimine Iudex, cui utrique appareat evidenter, esse moraliter certum, quod Petrus sit reus mortis, cum tamen non sit: & uterque mortis sententiam in Petrum dicat; ita tamen, ut unus Iudex ad eam sententiam procedat sub solo iudicio evidenti de certitudine morali reatus Petri, suspensio prorsus iudicio directo subiectivè moraliter certo de eodem reatu; alter verò procedat sub iudicio directo subiectivè moraliter certo, aut probabiliori de reatu: quæro, quinam ex illis Iudicibus prudentius procedat? an omittens iudicium directum, contentus solo reflexo, an

concipiens iudicium directum? Sanè longè sapientius procedit omittens iudicium directum, etsi subiectivè moraliter certum de reatu, in re tamen materialiter invincibiliter falsum, solo contentus iudicio evidenti de objectivâ morali certitudine, aut probabilioritate reatus, quàm qui præterea concipit illud directum iudicium: ille enim nulli se exponit etsi imprudenti periculo errandi materialiter; hic autem se exponit: ergo, etsi uterque prudenter procedat, prudentius tamen, qui omittit, quàm qui emittit iudicium directum: ergo si satis est iudicium directum subiectivè moraliter certum, etsi materialiter falsum, ut quis licitè sententiam ferat; satis quoque erit iudicium evidens reflexum de objectivâ probabilioritate, aut certitudine morali veritatis iudicii directi, suspensio hoc ipso iudicio directo, ut sententiam ferat.

Nota autem, quod loquendo de iudicio N. reflexo supra objectivam probabilitatem, 22. eodem prorsus modo pro materiæ diversitate loquendum est, ac de probabilitate subiectivâ locuti sumus. Sicut autem docuimus illicitum, immò impossibile in pluribus materiis sequi minùs probabilem subiectivè, quia hæc, ut ostendi, in pluribus non datur: & sicut in pluribus aliis illicitum est sequi æquè probabilem, immò probabiliorē subiectivè, sed sequenda est tutior, quia in illis nec æquè probabilis est practicè probabilis, nec speculativè probabilior est practicè probabilior; ita pari passu hic incedendum est; & dicendum, quod in iisdem non satis erit iudicium de minori, aut equali, aut maiori objectivâ probabilitate, cum hæc probabilitas non sit practica, sed appellari tunc potest ad iudicium evidenter reflexum de tutioritate, suspensio directo, si in illo casu tutior est sequenda. Rursus appellandum ad iudicium evidens reflexum de probabilioritate, si minùs probabilis non manet probabilis practicè.

Secundus textus est ex quodlib. 4. art. 23. N. ubi disputat, an inter Regulares dignior sit pro prælatione eligendus? Et in solutione ad 5. Tho. 12. ait: *Secundo, quia hoc non conceditur ab omnibus, quod necesse sit eligere meliorem ad regimē prælationis, sed secundum quosdam sufficit eligere bonum.* Hæc S. D.

Ecce 1. ex eo quia non conceditur ab omnibus lex obligans ad meliorem eligendum, 24. securum putat eligere bonum. Ecce 2. etsi 5. Tho. suam opinionem iudicet probabiliorē, non tamen alienam iudicat sibi non probabilem; non enim solveret argumentum per opinionem oppositam, si hæc sibi visa fuisset non

non probabilis; quis enim credat S. Thomam usum fuisse solutione sibi non probabilis? Ecce 3. solvit argumentum non per veritatem sententiæ oppositæ, sed per illius probabilitatem, quatenus etsi directè iudicaret eligendum esse meliorem ex obligatione, attamen reflexè simul iudicabat, probabile sibi esse non dari obligationem eligendi digniorem. Ecce 4. vel S. D. opinioni suæ affirmanti obligationem eligendi digniorem, directè assensus fuit, dum solvit argumentum per probabilitatem oppositæ, vel non? Si directè assensus fuit; ergo cum iudicio directo subjectivè probabiliori de veritate propriæ opinionis, adeoque de falsitate alienæ, conjunxit iudicium reflexum de objectivâ probabilitate alienæ opinionis, per quam solvit argumentum: ergo multo magis suspensio proprio iudicio subjectivè probabiliori, poterat utens solo iudicio reflexo de objectivâ probabilitate alienæ solvere argumentum, seu negare obligationem eligendi digniorem concipiendo unice hoc certum iudicium reflexum, Certò probabile est licere non eligere digniorem. Si non assensus fuit directè; ergo solo dicto iudicio reflexo usus fuit; & sic quodcumque dicatur, consequor intentum.

N. Tertius est in *Addit. ad 3. p. qu. 71. art. 5.*
25. *Sed hoc iterum*, ubi ait: *Tutius est simpliciter dicere, quod suffragia non prosint damnatis;*
S. Tho. nempe in inferno; quo loquendi modo utitur etiam M. Conradus 1. p. *Respons. qu. 264.*
M. Cō. dicens: *Tutius est dicere, quod suffragia*
rado. non prosint damnatis. Advertit autem M.
M. Sot. Soto in 4. *dist. 45. qu. 2. art. 2. §. quapropter.* rem valde pro dicendis notandam; nempe quòd licet opposita opinio affirmans suffragia prodesse damnatis in inferno sit hodie prorsus improbabilis; atque adeo opinio D. Thomæ hoc negans non possit strictè dici tutior, sed hodie dicenda est unice tuta; nam, ut bene M. Soto, quoties una opinio dicitur tutior, alia supponitur tuta; & ideo subdit: Etsi D. Thomas moderatè dixit tutius esse simpliciter dicere suffragia non prodesse damnatis, hoc dixit, quia suo tempore in opinionibus id versabatur; attamen nunc conclusio asserenda est, vel tamquam Catholica, vel tamquam Catholicæ proxima, saltem de jure communi. Hæc M. Soto.

N. Ecce 1. insignem D. Thomæ modestiam,
26. qui opinionem suo tempore incertam, & propriæ opinioni oppositam vocat tutam. Quid diceret, si hodie viveret, & primum principium Anti-Probabilistarum audiret, quòd nulla opposita opinio possit esse probabilis ei, cui propria est probabilior?

Ecce 2. quàm parùm fidendum absolutis N. & rotundis aliquorum Modernorum effectis; qui dicunt Antiquos per probabiliorē, & tutiorem intellexisse, unice probabilem, aut unice tutam, cum tamen M. Soto nemini fecundus, & Antiquioribus magis proximus, oppositum prorsus asserat.

Ecce 3. quòd S. Thom. solo iudicio reflexo de objectivâ tutioritate opinionis usus sit: quæstio enim directæ erat, an Missarum suffragia damnatis in inferno prodesse? Huic autem non respondet directè, sed reflexè, per solam objectivam opinionis negantis tutioritatem; non enim absolute dicit, *non prosint*; sed dicit, *tutius est simpliciter dicere, quòd non prosint.*

Ecce 4. etsi hæc quæstio videatur speculativa, an Missæ prosint damnatis; attamen ex ea derivatur practica, nempe quòd licet, aut non liceat Missas pro damnatis offerre. Immo esto esset purè speculativa, adhuc ratio est integra. Si enim in quæstione speculativâ licet directum suspendere iudicium, & ad solum reflexum de opinionis probabilitate, aut tutioritate appellare; cur non etiam in quæstione practica licebit suspendere omne iudicium directum subjectivè probabilius de veritate, & sub solo iudicio reflexo de objectivâ tutioritate, aut probabilitate veritatis opinionis operari? Ergo ex S. Thom. & M. Conrado licet ex solo iudicio reflexo de veritatis probabilitate, aut tutioritate, suspensio omni directo de veritate, operari: ex. gr. *Tutius est dicere, quòd Missa non prosit damnatis; ergo illam pro illis offerre non licet*: quo primo, & quidem solo iudicio reflexo ad honestam Missæ pro damnatis omissionem regulor.

Quartus textus est ex 4. *Sent. dist. 8. qu. 1. N. art. 4. quæstio 2. ad 2.* ubi querit, an aqua 30. frangat jejunium naturale; adeoque post 8. Th. aqua potum, Christi D. corpus sumi non poterit? Ait autem: *De aqua diversa est opinio. Quidam dicunt, quòd quia aqua non nutrit, non solvit jejunium naturale: Alij probabilius, & securius dicunt, quòd etiam post aqua potum corpus Christi D. sumendum non est.* Hæc S. D. Ecce 1. in re hodie clarâ, & fortè suo tempore incertâ, mira iterum S. Thomæ modestia, qui suam opinionem unice probabiliorē, & tutiorem vocat, supponendo oppositam suæ fuisse suo tempore probabilem, & tutam. Ecce 2. prudentissimus resolvendi modus, quoties res est dubia, non quidem per iudicium directum de veritate, sed per solum reflexum de objectivâ probabilitate, & securioritate veritatis opinionis propriæ, dicendo: Probabilius, & securius est post aquæ

aquæ potum non licere fumere Christi D. corpus.

N. Quintus est ex Opusc. 64. §. complacentia habita in memoriâ peccati, ubi hæc habet: Si rememorando mala præterita, quæ fecisti, non habes dolorem, sed potius delectationem in eis, & propter hanc delectationem facis memoriam ibidem, non credo expedire, quod specifice ipsa peccata rememorata. Hæc S. D. Ecce 1. non dicit, Credo non expedire; sed dicit, Non credo expedire; suspendendo iudicium directum de non convenientiâ. Ecce 2. in re tam gravi, an quis teneatur specificare peccata, juxta S. Thom. rectè operatur, qui non specificat peccata sub suspensione iudicii directi de non convenientiâ specificandi dicta peccata, non minus ac rectè operatur, qui sub iudicio directo de non convenientiâ specificationis ea non specificat, seu æquè rectè operatur, qui iudicat, Non credo expedire, ac qui dicit, Credo non expedire; ergo æquè rectè operatur, qui ponit opus, aut omissionem, suspensio iudicio directo, & posito solo reflexo, ac qui sub iudicio directo.

§. III.

Alij Divi Thomæ textus.

S U M M A R I U M.

Ait reflexè, quod opinio negans specificandas circumstantias purè aggravantes, sit probabilior, n. 32.

Solum iudicium reflexum de ejus opinionis probabilioritate satis ad honestum silentium earum circumstantiarum, ibid.

Judicat Papam posse dispensare in voto continentie, & Religionis, quia opinio hoc docens est probabilior, n. 33.

Judicium reflexum de probabilitate veritatis æquivalet directo de veritate, ibid.

S. Thom. retrahens aliquam opinionem reflexè loquitur dicendo, quod sibi appareat non esse nunc veram, n. 34.

S. Thom. suspendit sæpe iudicium directum, ib.

Ait, quod Theologia nitatur probabilibus, n. 35.

Si satis juxta S. Thom. iudicium de probabilitate objectivâ, etiam satis de probabilitate, n. 36.

Immo satis juxta S. Thom. iudicium reflexum de minori probabilitate, ibid.

Appellat ad solum reflexum de probabilitate opinionis tuentis aliqua fuisse Sacramenta pro parvulis in statu naturæ legis, n. 37.

Contradictio Gonetii, ibid. & n. 38.

S. Thom. ait alijs probabilis, non sibi, & adhuc sequitur alienam ex solo iudicio reflexo, quod illis sit probabilior, n. 38. & 39.

Utitur reflexo, n. 40.

Tom. III.

Ex eo quia non est probabile iudicem toties a recto iramite declinare, aut non esse licitum appellare tertio a sententiâ datâ, n. 41.

Ait non transgredi præceptum, qui non optimo modo implet, sed satis, ut quolibet modo impleat, n. 42.

Sextus est ex 4. dist. 16. qu. 3. art. 2. ad N. 3. ubi hæc leguntur: Quidam dicunt, quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem S. Thom. quantitatem peccato addunt, necesse est confiteri, si memoria occurrant: alij verò dicunt, quod non sunt de necessitate confitenda nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt: & hoc probabilius est. Hæc S. D. Ecce 1. resolvit quætionem directam, & quidem gravissimam per solum iudicium reflexum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis negantis, suspensio prorsus omni iudicio directo de veritate ejusdem opinionis negantis: ait enim: Probabilius est, quod non sint necessario confitenda circumstantiæ pure aggravantes; non autem ait, Non sunt confitende. Ecce 2. quod S. D. ad honestam supernaturalem omissionem confitendi circumstantias pure aggravantes concedat satis esse solum iudicium reflexum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis negantis, & quidem stantis pro libertate: nihil enim omnino dicit de hujus opinionis veritate; ergo multo magis ad licitam omissionem, aut opus satis extra Sacramentum erit solum iudicium reflexum certum de objectivâ probabilitate veritatis opinionis, & licentiæ operationis, suspensio omni iudicio directo subjectivè probabiliori de ejusdem opinionis veritate, & operationis licentiâ.

Septimus est ex 4. dist. 38. qu. 1. art. 4. N. quæstionum. 1. 2. 3. ubi quærit, an Papa cum 23. Religioso professio dispensare possit, ut in ea S. Thom. matrimonium. Cui respondet: Et ideo alij dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ exposceret, posset convenienter, & in voto continentie, & in voto Religionis dispensare, quantumcumque esset solemnizatum. Hæc S. D. Ecce 1. ingenita quæcumque in decisione D. Thom. modestia in tō probabilis. Ecce 2. ne quidem dicit, quod ea opinio affirmans sit tibi probabilior, sed unice dicit, Ideo alij dicunt probabilius; ut inde discamus licitum nobis conformare alienæ opinioni alijs probabiliori. Ecce 3. mirabilis prudentia in resolutione rei incertæ, nam suspendit iudicium directum de veritate, quia incertum, etsi forte esset sibi subjectivè probabilius; & unice quætionem, an Papa possit, vel non, contentus est resolvere per solam certitudinem

T

iudicij

judicii reflexi de objectivâ probabilioritate opinionis affirmantis posse. Ecce 4. quod plures Thomistæ, quos inter S. Antoninus, Caietan. Durand. Palud. Petr. de Ledefina, & alii judicent S. Thomam sensisse, Papam dispensare posse, etsi S. D. non dixerit directe, quod possit, sed unice reflexè judicaverit probabilius esse, quod possit: ergo, juxta communem Thomistarum sententiam, judicium reflexum de objectivâ probabilitate veritatis æquivaleret directo de opinionis veritate. Nolo autem præterire, quod S. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 11. visus sit hanc suam opinionem retractasse, & ideo juniores Thomistæ adhærent opinioni neganti.

N. Octavus est ex 3. part. qu. 70. art. 4. ubi loquens de opinione, quam in 4. dist. 1. qu. 2. art. 3. *questiunc.* 3. tradiderat, nempe, quod gratia per circumcisionem collata non valeret ad meritorie operandum, loquens, inquam, de eâ opinione ait: *Quod aliquando mihi visum est, sed diligentius consideranti apparet etiam hoc non esse verum.* Ecce 1. non dicit, Non est verum, quod docueram; sed dicit, Apparet mihi non esse verum, quod docueram; seu quod idem est, Probabilius mihi nunc est non esse verum. Ecce 2. judicium reflexum de veritatis probabilitate æquivaleret, juxta S. Thom. judicio directo subjektivè probabili de veritate. Ecce 3. etsi æquivalet, attamen S. D. ut prudentissimè procedat, sapientissimè in rebus incertis utitur potius judicio certo reflexo de objectivâ securitate, aut probabilioritate veritatis, quam judicio directo subjektivè probabiliori de veritate; hoc autem, ne errore aliquo materiali intellectum inficiat: ergo tantum abest, ut modus suspendendi directum judicium incertum includat aliquid minus sapiens, & prudens, quin est character virorum apprimè sapientum, & prudentum: præsertim cum quidquid boni inest judicio directo inevidenti incerto, (quod etsi moraliter certum, semper esse potest falsum) illud idem infit eminenter soli certo, & evidenti judicio de objectivâ probabilitate veritatis; & quidem cum excessu: omne enim judicium naturale directum, dummodo inevidens, etsi moraliter certum, potest esse falsum: nullum autem reflexum evidens potest esse falsum; etenim supponimus, quod judicium reflexum sit evidens de probabilitate.

N. Nonus est, quem sæpe dedi, quod Theologia nitatur probabilibus; per probabilitatem autem venit, tam subjektivâ, quam objectivâ, immò objectivâ est fundamentum subjektivæ: ergo ut Theologus prudenter opinetur, & licitè operetur, satis est, ut al-

terutri probabilitati nitatur, & sub alterutro judicio operetur.

Non est autem, quod Lectorem moveat, quod S. Thom. suspensio judicio directo de veritate contentus sit reflexo de probabilitate veritatis opinionis, dicendo probabilius sibi esse hoc, aut illud. Non est, inquam, quod tō probabilioritas Lectorem moveat; si enim semel mihi detur, quod satis sit solum reflexum de objectivâ probabilitate veritatis judicium, suspensio directo subjektivè probabiliori de veritate, datur mihi maximum dicendi motivum, quod satis se solo erit judicium de objectivâ æquali, aut minori, certâ tamen probabilitate veritatis opinionis, suspensio judicio directo subjektivè æquæ, aut minus probabili de illius veritate: etenim omne quod tali judicio reflexo opponi poterit, unice orietur, non ex necessitate judicii directi, (si enim hoc necessarium semper esset, non liceret sub solo reflexo de probabilitate operari, quod est contra S. Thom.) sed orietur ex eo quia judicium reflexum evidens est de æquali, aut minori probabilitate objectivâ. Totum autem hoc hæcenus dilutum fuit, & amplius diluatur: si enim inter judicia directâ satis juxta nos est directum subjektivè æquæ, aut minus probabile; ita inter reflexa satis erit evidens de objectivâ, five æquali, five minori, certâ tamen probabilitate veritatis judicium. Addo, quod S. Thom. in 2. textu 4. me citato expressè innuat, satis esse judicium evidens de minori probabilitate objectivâ; ut enim solvat argumentum, utitur probabilitate opinionis oppositæ, cujus veritas erat sibi minus probabilis.

Decimus textus est ex 3. p. qu. 70. art. 4. N. ad 2. ubi quærens, an in statu legis naturæ vera fuerint pro parvulis, & adultis Sacramenta, ait: *Probabile est, quod parentes Fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent &c.* Ecce nullo utitur judicio directo de veritate, sed ad solum reflexum de probabilitate veritatis recurrit; dicit enim, *probabile est.* Eo autem ipso quod M. Gonetus tom. 2. d. 2. n. 55. hoc ipso textu utitur, ut suam mentem fundet; hinc colligo, tum quod judicet S. Thomam optimè resolvissè quæstionem recurrendo ad puram probabilitatem; tum autem quod M. Gonet. sibi contradicat, non tantum dum negat usum probabilis, unice querendo usum probabilioris; nam S. Thom. non dixit, *probabilis est, sed probabile est;* sed etiam dum negat licitum nisi soli judicio reflexo de probabilitate veritatis, suspensio omnino directo de veritate.

Unde-

N. Undecimus est ex 4. dist. 1. qu. 2. art. 6. *questiunc. 2.* ubi relata opinione D. Gregorii, S. Thomas adheret illi ut probabiliori, ait M. Gonet. l. c. n. 91. Etenim inquit S. D. *Sed quia hoc non videtur consonare verbis Gregorii, ideo probabilius dicunt, quod parvulus non suffiebat sola fides.* Idem repetit S. D. in 4. ad Amibaldum dist. 1. qu. 2. art. 2. Immo M. Gonet. n. 53. ut occurrat objectioni sumpta ex textu D. Thomae adducto ait: Ad D. Thomam fateor ipsum in oppositam opinionem ut probabilem inclinasse. Ecce 1. teste Gonet, non tantum iudicium de probabilitate, sed etiam de probabilitate, juxta D. Thom. satis est, ut prudenter opinemur: ergo etiam ut prudenter operemur. Ecce 2. multiplex Gonet secum ipso contradicito, nam alibi negat, tum quod minus probabile sit probabile; tum quod satis sit solum reflexum de probabilitate iudicium. Ecce 3. quod S. Thom. non dicit *sibi probabilius esse*, sed dicit esse aliis probabilius; ait enim, *Ideo probabilius dicunt*: ergo licitum est ex S. Thom. sequi quod alii probabilius iudicant: ergo falsum est Anti-Probabilitatum principium, quod nemo operari possit, nisi alicuiam opinionem faciat suam.

N. Duodecimus est ex 3. p. qu. 78. art. 3. ubi ait: Quidam dixerunt, quod de substantia formae huius est hoc solum, quod dicitur, Hic est Calix sanguinis mei; non autem ea, quae sequuntur... Et propter hoc sunt alij, qui melius dicunt, quod alia sequentia sunt de substantia formae. Ecce nititur iudicio alieno de probabilitate, suspento omni iudicio proprio tum directo de veritate, tum reflexo de probabilitate.

N. Decimustertius est ex 1. p. qu. 62. art. 9. ad 3. ubi loquens de Angelis beatis ait: Quidam dicunt, quod quantum ad premium accidentale etiam mereri possunt. Sed melius est, ut dicatur, quod nullo modo aliquis Beatus mereri potest, nisi sit simul viator, & comprehensor, ut Christus. Ecce iudicium reflexum, melius est, ut dicatur.

N. Decimusquartus est ex 2. 2. qu. 69. art. 3. in fine, ubi agens de vitiis contra iustitiam, & quaerens, an appellatio a sententia sit licita, & sibi obiciens, quod non sit licitum appellare tertio super eodem, respondet: *Ideo autem non est concessum, ut tertio aliquis appelleret super eodem, quia non est probabile, toties iudices a recto tramite declinare.* Ecce 1. per hoc praecise, quod non sit probabile iudices toties a recto tramite declinare, infert licitum non esse tertio appellare: ergo si esset probabile, esset, juxta S. Thom. licitum. Ecce 2. quod iudicium reflexum de non probabili Tom. III.

litate inferat non licentiam: ergo reflexum de probabilitate inferet licentiam: ergo per hoc praecise, quod quis formet reflexum de probabilitate iudicium, satis erit, ut licite, aut honeste operetur.

Decimusquintus est ex 2. 2. qu. 184. art. 3. N. ubi ait: *Non afficitur transgressor praecepti aliquis ex hoc, quod non optimo modo implet, (lo. S. Tho. quitur de praecepto charitatis) sed sufficit, quod quocumque modo impleat illud:* ergo ex S. Thom. neque fiet transgressor praecepti veritatis, qui non sequitur probabilius, sed satis ut sequatur probabile; ubi enim veritas est incerta, satis est sequi certo verisimile, non autem ex verosimilibus verosimilium; hoc autem dupliciter, vel directe, vel reflexe assentiendo verosimilitudini.

§. IV.

Ex mente Doctōris subtilis.

SUMMARIUM.

Ait in Sacramentis solam intimam, aut ei proximam, si ea non est possibilis, sequendam, adeoque non satis iudicium de maiori probabilitate, sed de veritate necessarium, n. 43.

Ait viam faciliorem, & certiorē ad gratiam tenendam, n. 44.

Quā animi moderatione in ferendo iudicio de alienā opinione procedat, n. 45.

Ait necessarium semper iudicium reflexum de obiectivā probabilitate, ibid.

Utramque contradictoriam vocat probabilem, tam negantem, quā tuentem Beatum posse videre omne futurum, & possibile, n. 46.

Utitur solo reflexo, n. 47.

Si dubium speculativum recte solvitur per solum reflexum de probabilitate, etiam practicum, n. 48.

S. Damascenus utitur solo reflexo, ibid.

Scotus descendit ut probabilem opinionem tuentem, quod substantia sit quid positivum, etsi negantem dicat probabiliorem, n. 49.

Scotus descendit ut probabilem opinionem negantem, quod sint de necessitate consecrationis verba antecedentia ad haec, Hoc est corpus meum; etsi alibi oppositam absolūtē docuerit, n. 50.

Scotus ex eo quia non est certum, quod verba sequentia ad iō sanguinis mei, sint de essentia formae consecrationis, ait esse periculosum hoc asserere, n. 51. 52.

Periculosum est, juxta Scotum, asserere legem, quae non est certa, n. 53.

Hinc sequi tutius juxta Scotum est purum consilium, n. 54.

Utitur solo iudicio reflexo, n. 55.

Sij

Valde

Valde notandum, quod Scotus dicat opinionem asserentem omnia verba esse de essentia forma consecratoria sanguinis, esse periculosam, etsi eam tueatur D. Thom. eo quia non datur certa lex, n. 56.

Est ergo principium antiquissimum, quod lex, nisi sit certa, non obligat, ibid.

Scotus problematice se gerit circa dubium, an Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio, n. 57.

Loquens de Deipara Conceptione suspendit directum, & appellat ad solum reflexum de probabilitate pie sententiae, n. 58.

Scotus plures sequitur minus tutas minus probabiles, n. 59.

N. 43. **A**lter Scholasticæ Theologiæ Princeps est Scotus, ex quo plura lego apta ad rem nostram. Primus textus est ex 4. dist. 3. qu. 2. ubi ait: In Sacramentis veritatis, nihil est falsitatis, & ideo Ministro numquam licet certam viam omittere, subdit tria circa materiam, & formam Sacramentorum observanda esse. Primum, si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secundum, si possibilitas non adest, proxima via tutissime tenenda est. Tertium, cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibeat. Hæc Scotus apud Fogar. d. 3. part. 2. ex Maftrio n. 104. Ecce 1. quàm solide Subtilis Doctor paucis verbis Sacramentorum materiam digesserit, nempe nullum iudicium, etsi moraliter certum, nisi sit verum, satis esse, ut Sacramentum in re existat, etsi satis sit, ne Minister illicite ministret, quia valor Sacramenti pendet à veritate. Ecce 2. ad rem præsentem ait, quod via certa, & vera quaerenda est; hæc autem cum in solo iudicio reflexo evidenti de objectivâ certitudine morali, aut probabilioritate veritatis opinionis invenibilis sit; neutra autem in ullo iudicio directo, etsi moraliter certo, indispensabiliter reperiatur; eo ipso melius operamur sub solo iudicio evidenti reflexo; in hoc enim est veritas, & certitudo sui objecti, nempe probabilitatis, quàm sub solo directo, quod etsi moraliter certum potest esse in re falsum.

N. 44. **S**ecundus est ex 4. dist. 17. qu. un. ubi ait: Ubi via est facilior, seu magis in potestate hominis, & certior ad gratiam recuperandam, tenetur quilibet ad illam viam; sed hoc præcipue convenit iudicio reflexo evidenti de objectivâ probabilitate; non ita iudicio directo subjective probabili, quod semper est incertum de sui objecti veritate; ergo eo potius, quàm iudicio directo uti tenemur. Aliter Maftrius in 2. d. 5. n. 112.

Tertius est ex 3. dist. 25. qu. 1. n. 1. ubi ait: Bene videndum in moralibus antequam aliquid asseratur, quia cum habens duas opinioniones contrarias perplexus sit, periculose se determinat ad unam, nisi re diligenter inspectâ illam probabiliorē agnoscet. Ecce ex Scoto necessarium est iudicium prævium saltem de probabilioritate opinionis, antequam quis ei assentiatur; obligat autem ad illud, non autem ad assensum directum: ergo ex Scoto necessarium est iudicium certum de probabilitate, non autem directum de veritate. Nolo autem occasione quæ Scotum legi, prudens ejus dictum omittere, qui in 1. dist. 8. qu. 1. §. de intentione istorum, nempe Aristotelis, & Avicenna, & quidem in re philosophicâ loquens hæc habet: Illis autem imponenda non esse absurdiora, quàm uti dicant, vel quàm ex dictis eorum necessario sequitur; & ex dictis eorum rationabiliorem intellectum esse accipiendum. Hæc Scotus, ubi advertere est animi moderatio, quæ in aliorum sententiis procedit. Vide Maftr. in 1. d. 2. n. 8.

Quartus est ex 3. dist. 4. qu. 2. §. Sed hys. N. & §. Tertio modo. ubi ait, probabile esse utramque sententiam, tam affirmantem, quàm negantem, quod Beatus possit in Deo videre omnes creaturas futuras, & possibles. Ecce tum simulatas probabilitates objectivæ, tum solum reflexum de hac probabilitate iudicium. Lege Maftr. in 1. dist. 6. n. 250.

Quintus est ex 4. dist. 13. qu. 1. art. 3. ubi N. ait: Non credo semper causam secundum recipere motionem specialem à causâ primâ. Ecce non dicit, credo, quod non semper recipiat; quod esset iudicium directum; sed dicit, non credo, quod semper recipiat: ergo suspendit iudicium directum, & per ejus omissionem rectè solvit quaestionem, an causa secunda recipiat semper motionem à primâ. Hoc modo resolvendi quaestiones incertas, appellando ad solum iudicium reflexum de probabilitate, utitur sæpe Scotus, dicendo ex. gr. probabilis est non teneri restituere; quia illud reflexum in ordine ad regulandam volitionem ad operationem, aut omissionem, æquivaleret iudicio directo subjective probabili, aut probabiliori: ex. gr. non est restituendum; cum hoc discrimine, quod suspendens directum non est capax erroris, eliciens est capax.

Sextus est apud Maftr. in 2. d. 2. n. 2. ubi N. quaerens Scotus, an dari possit in Angelis pluralitas specifica, ait: Statuitur hæc conclusio de possibili, quia de facto etiam si valde de probabilis sit, ut affirmat Damascenus apud

apud Scot. in Elementario cap. 12. Ecce Damascenus, juxta Scotum, judicavit valde probabilem opinionem, quod omnes Angeli differant specie: ergo, juxta Damascenum, Scotum, & Maitrium, questio directæ rectè solvitur per solum reflexum de objectiva probabilitate judicium. Si autem hoc conceditur in materia speculativa, cur non in practica? ut enim in hac tenemur ad practicam veritatem, ita in illâ ad speculativam: ergo si non obstante hac obligatione, dubium de veritate speculativa rectè solvitur per solum judicium reflexum de probabilitate veritatis speculativæ, omisso directo de veritate speculativa; ita etiam non obstante obligatione veritatis practicæ, dubium practicum satis, & rectè solvitur per solum reflexum de probabilitate veritatis practicæ judicium, omisso directo de veritate practica.

N. Septimus est ex 3. dist. 1. qu. 1. art. 3. & dist. 6. qu. 1. & quodlibet. 19. art. 3. & in 1. dist. 7. & dist. 23. §. Ad questionem. ubi putat, quod subsistentia probabilis sit quid negativum, est dist. 1. qu. 1. in 3. probabile simul putet oppositum. Ecce Scotus hoc loco defendit ut probabilem oppositam: ergo omne judicium directum suspendit tum de veritate alienæ, cum hæc esset sibi minus probabilis, tum de veritate propriæ. Rursus propriam defendit tantum ut probabiliorẽ; ergo satis reflexum de probabilitate.

N. Octavus est, quem Tartaretus fidelissimus Scoti Interpres, Hiquius, Pontius, Maitr. in 4. dist. 3. qu. 6. n. 137. & 138. produciunt; dicunt enim Scotum defendisse ut probabilem opinionem tuentem, quod verba antecedentia ad hæc, *Hoc est corpus meum*, sint de necessitate consecrationis; non ut veram, nam alio loco oppositam absolute docuit: ergo licet resolutio questionis directæ per solum probabilitatem, & quidem minorem.

N. Nonus, & valde clarus textus est ex 4. dist. 8. qu. 2. §. De isto secundo articulo, ubi dixerens, an omnia verba, quibus utimur, sint de consecrationis essentia, ait: Dico breviter, quod non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba post illud, *Sanguinis mei*; ideo periculosum est hoc asserere, de quo nulla autoritas adest. Hæc Scotus.

N. Ecce 1. eo ipso quod non est omnino certum, quod verba sequentia ad tō sanguinis mei, pertineant ad formam consecrationis sanguinis, est periculosum hoc asserere juxta Scotum; ergo juxta Scotum, quoties lex Tom. III.

non est omnino certa, est periculosum illam asserere.

Ecce 2. esto dicat, tutius est omnia proferre, immo omnia Canonis verba distinctè legere, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & hoc ad tollendos scrupulos; atamen ait, esse periculosum dicere, quod detur lex de hoc faciendo, quasi ea verba, quæ supra Calicem proferuntur, omnia essent de essentia: ergo, juxta Scotum, periculosum est asserere legem, quoties non est certa.

Ecce 3. quod sequi tutius, juxta Scotum, non sit nisi consilium, non autem obligatio, immo talem obligationem asserere est periculosum.

Ecce 4. unice reflexè asserit, periculosum N. esse asserere, quod omnia verba sint essentia- lia ad sanguinis consecrationem; non autem directè asserit, non sunt, quia est æquivalenter idem: ergo sicut hæc duo inter se æquivalent, periculosum est asserere omnia verba esse de essentia, ac dicere, non sunt de essentia; ita hoc duo etiam inter se æquivalent, probabile, aut probabilius est non esse de essentia, ac dicere, non sunt de essentia.

Ecce 5. rem bene notandam, quod cum N. opinio S. Thomæ asserens omnia ea verba esse de essentia consecrationis, stet pro leges opinio autem Scoti negans stet pro non lege, ait periculosum asserere dari legem, quoties hæc non est omnino certa. Videant modo Anti-Probabilistæ, an nostrum principium, *Lex non obligat, nisi certa sit*, sit Modernorum inventum. Videant, an Antiqui illis favcant, negando licitum usum minus probabilis stantis pro non lege, cum Scotus protestetur periculosum esse asserere dari legem, si hæc non sit omnino certa: ergo multo magis asserere legem, quæ non tantum non est certa, quin probabiliter negatur.

Decimus est ex 4. dist. 24. art. 2. ubi problematicè se gerit circa dubium, an Episcopus patet sit ordo distinctus à Sacerdotio, ut ait Maitr. in 4. dist. 4. de Sacram. Ordinis n. 8. ergo dubia rectè solvuntur per probabilitatem utriusque partis.

Undecimus valde manifestus est ex 3. N. dist. 3. qu. 1. ubi loquens de Deiparâ sine la-be conceptâ, præmissâ triplici distinctione Scoti, concludit: Quid autem horum trium, quæ ostensa sunt possibilia, factum sit, Deus novit. Si authoritati Ecclesiæ, aut Scripturæ non repugnat, videtur probabile, quod est excellentius Mariæ tribuendum. Hæc Scotus. Ecce 1. suspendit omne judicium directum, & utitur solo reflexo. Ecce 2. non

T iij dicit,

dicat, *probabilius*, sed dicit, *probabile*. Vide quæ dixi d. 11. à n. 123.

N. Demum legi potest Bordonus in *Propugnac. Opin. Prob. cap. 17.* ubi fultè solvit quæ Merenda affert ex Scoto contra Probabilitas; facile enim Lector colliget plura ad nostrum intentum, nullum autem pro intento Merendæ, ut ostendit Maffrius in 2. d. 5. & Bordon. l. c. relatis pluribus opinionibus Scoti minùs tutis, & minùs probabilibus.

§. V.

Ex mente Divi Bonaventuræ, Divi Prosperi, Divi Gregorii, Divi Antonini, & Divi Francisci de Sales.

SUMMARIUM.

S. Bonav. opinionem stantem pro non confessione circumstantiarum vocat probabilem, etsi oppositam sequatur ut probabilior, n. 60.

Idem ait de diversis alijs opinionibus, ibid.

Procedit sub solo reflexo, ibid.

S. Bonav. ex eo quia opinio nil convincens habeat contra se, & plura habeat pro se, ait eam sustineri posse, atque adeo satis esse objectivam probabilitatem, n. 61.

S. Prosperus ad solam probabilitatem recurrit, n. 62.

S. Gregorius negat necessarium iudicium absolutum de veritate in re incertâ, n. 63.

S. Antoninus insinuat excusari à culpâ, qui sub solo reflexo de probabilitate operatur, n. 64.

S. Franc. de Sales consulit, ut quis Toleti Summam sequatur, adeoque satis certa probabilitas veritatis opinionis, n. 65.

N. 60. S. Bonavent. **S**ancus Bonav. sæpissimè utitur solâ probabilitate, suspensio iudicio directo, immo utramque opinionem oppositam iudicat sepe probabilem, adeoque tutam in praxi, etsi sequatur probabilior; hoc autem non facit, quia iudicat dari legem sequendi probabilius, sed quia melius est. Primus textus est in 4. dist. 17. art. 2. qu. 3. ubi sententiam affirmantem nos teneri aperire circumstantias purè aggravantes, vocat probabilem, etsi oppositam sequatur, & vocet probabilior. Secundus in 4. dist. 31. art. 2. qu. 3. ubi quærens, an qui ex concupiscentiâ copulatur uxori, peccet semper mortaliter, quamvis negantem vocet probabilior, & eam sequatur; attamen affirmantem vocat probabilem. Tertius est in 4. dist. 36. art. 2. qu. 3. ubi duplicem opinionem tamquam probabilem trahit; quod idem præstat dist. 39. art. 2. qu. 1. & 2. de iuramento doloso. Ergo ex S. Bonav. licet operari ex solâ pro-

babilitate objectivâ; tum quia oppositam suæ non vocat veram, sed probabilem; tum quia non vocaret probabilem, nisi liceret eam sequi; quomodo autem? Non assensendo directè; nam directè assensur sibi probabiliori; ergo nixus soli reflexo iudicio de objectivâ probabilitate veritatis opinionis oppositæ.

Sed omittis alijs, ecce in terminis nostra sententia ex S. Bonav. in 4. dist. 38. art. 2. qu. 61. 3. ubi quærit, an Summus Pontifex possit dispensare in voto; & relata triplici opinione, primâ affirmante universaliter de omni voto; secundâ, & terriâ limitante, subdit: *Quæ istarum opinionum sit verior, scire non scire; & satis (N.B.) qualibet sustineri possit, ideo nullam aspero. Siquis tamen veli hanc ultimam acceptare, non occurrat ei inconveniens manifestum, ut dicitur.* Ecce præter licitum ultum cuiusque opinionis certo probabilis, & præter fundamenta, quibus eum probat, & nos probavimus, nempe quòd possit sustineri, & nihil habeat evidens contra se, expresse dicit te nulli adherere directè; immo ideo nulli directè adheret, quia qualibet eas sustineri potest. Quomodo autem hæc duo combinari possunt, nempe se nulli assensuri, & tamen quamlibet à se sine culpâ, seu satis sustineri posse; quomodo, inquam, hæc combinari possunt, non video, nisi quia quælibet est certò probabilis, & per hoc, quòd quælibet talis est, dicit, quòd sine culpâ sustineri possit; sed implicat, ut aliqua sustineri possit suspensio omni directo assensu cuiuslibet, nisi per certum reflexum de objectivâ probabilitate iudicium; ergo hoc satis est ad sustinendam opinionem.

S. Prosperus lib. 2. de Vocat. Gentium cap. N. 22. ait: *Non irreligiosè arbitror credi, neque eo-62. convenienter intelligi &c.* Ecce iudicat esse S. Prob. valde probabile, quòd Deus universis Nat. & M. tionibus eam gratiam largiatur, quâ utique bene uterentur eorum parentes, etiam ipsi (nempe infantes) per eosdem iurarentur. De quo vide P. Muncif. tom. de Gratia d. 12. sect. 10. Ecce S. Prosperus ad solam probabilitatem appellat.

S. Gregorius ait: *In rebus dubijs non debet N. iudicium esse absolutum;* id est, omnino fir-63. mum; immò cum omne iudicium directum & Grog. sit absolutum de veritate, nam absolute affirmat, aut negat rei veritatem, quamvis sit opinativum, atque adeo semper cum formidine; hinc omne opinativum directum est quidem absolutum, prout opponitur modo-64. li, non autem prout opponitur incerto; immò omne est incertum, si est intra lineam probabilitatis, quacumque ea sit. Eo autem ipso,

opinionis, seu honestatis actus, & objecti
non autem necesse semper est iudicium dire-
ctum subjectivè probabile, aut probabilius
de opinionis veritate, seu de honestate actus,
& objecti.

SECTION II.

§. I.

Aliqui.

*Retorqueo dictum Goneti in eundem tuentem
neminem assequi mentem D. Thomæ, nisi Tho-
mistas, n. 66.*

Ex Caietano lex, quæ non scitur, non obligat,
ibid.

*Ex eodem omittens jejunium sub judicio reflexo,
quod lex obliuans non sit certa, non peccat. ib.*

Utitur solo reflexo, quod non videat mortale, si quis baptizet sine solemnitate, n. 68.

Satis reflexum de probabilitate, ait Caietan. n.
69. 70.

*Qualiter cum dubio stet juxta Caiet. certitudo
de non peccato, ibid.*

Permittit licitum in incertis opinari quodlibet,
n. 71.

Nemo obligatur ad iudicium incertum, adeoque ad directum, ibid.

*S. Thom. non semper solvit rationes oppositas,
adeoque falsum Fogarini principium, n. 72.*

Ferrariensis resolvit dubia per solum iudicium reflexum, n. 73.

Durandus *cisi aliquam opinionem stantem pro*
lege judicet probabilem, quia tamen non est

*certa, sequitur stantem pro libertate, n. 74.
Juxta Durandum satis judicium reflexum, ib.*

M. Victoria resolvit reflexè, n. 75.

M. Soto ait, quòd quamvis quis judicet aliquam opinionem esse falsam, excusabitur à culpâ, si

eam sequatur judicans probabilem, n. 76.
Idem M. Soto plurima resolvit per solam proba-

Ait legem, quæ non est certa, non obligare, ib.

Ait satis iudicium, quod opinio sit communis, ne

quis peccet, n. 78.

*Non est idem opinionem esse communem, ac esse
veram, ibid.*

M. Medina resoluit tantum reflexe plura dubia,
n. 79.

Aliqua opiniones fuere Antiquis probabiles, hodie improbables, ait M. Victoria, & M. So-

to, *ibid.*

Audiyi-

N.
66.

Audivimus utrumque Theologiæ Scho-
lasticæ Principem; audiendi modò
utriusque discipuli, qualiter directas qua-
estiones, si incertæ sint, resolvant; an semper
ferendo directum de rei veritate iudicium;
an sæpe contenti solo reflexo evidenti de ve-
ritatis probabilitate iudicio. Ducemus autem
exordium à Thomistis, de quibus M. Gon.

M. Gon.

tom. 5. tr. 4. de Sacram. Euchar. in *Præfat.*
scripsit, quod etsi extranei omnes pollicen-
tur, nè latum unguem à D. Thomæ doctri-
nā recessuros, *id quidem omnes extranei polli-
centur, sed id soli discipuli* (nempe Thomistæ)
implent. Si igitur ostendero ferè omnes Tho-
mistas sæpe solo de probabilitate objectivā
veritatis iudicio contentos, eo ipso ostendā
tum quòd nostra doctrina sit Divi
Thomæ; tum quòd doctrina Gonetii negan-
tis satis esse solum reflexum de objectivā
probabilitate veritatis iudicium, non sit Di-
vi Thomæ.

N.

67.

C. Caiet.

Primus est purpurā ac doctrinā eminens
Card. Caietanus, qui in *sum. verb. jejunium*,
quærens, an præceptum jejunandi, salvo
contemptu, obliget sub mortali, ait: *Non
audeo ex iure scripto asserere, quia nullibi scio
scriptum esse præceptum obligans ad mortale non
jejunantem.* Non ignoro, quòd hæc opinio
supponat doctrinam hodie improbabilem,
nempe, quòd nulla lex humana, secluso
contemptu, obliget sub mortali; & quòd
nulla lex detur obligans ad jejunium. At tan-
to Doctori parcendum; fortè enim hoc ip-
sum erat suo tempore inter T. T. incertum.
Ego unicè considero 1. modum resolvendi
questionem per suspensionem iudicii direc-
ti; ait enim, non audeo asserere esse morta-
le, seu non assero esse mortale. Considero 2.
principium, quo utitur; est enim ipsissi-
mum, ac quo nos aliàs usi sumus; quòd lex,
quæ non scitur, non obligat; etenim ex ca-
rentiā scientiæ præcepti obligantis ad jeju-
nium, infert se non audent asserere, quòd
omissio jejunii sit mortale. Considero 3. quòd
non jejunantem citra contemptum asserere
non audet reum culpæ lethalis; adeoque
omittens jejunium sub iudicio reflexo, quòd
lex non sit sibi certa; & multo magis sub
hoc, quòd non lex sit sibi certò probabilis,
juxta Caietanum sine culpā operatur; ergo
juxta illum, ne quis omittendo jejunium
peccet, necessarium non est hoc iudicium
directum, Lex non datur.

N.

68.

C. Caiet.

S. Tho.

Similiter in 3. p. qu. 67. art. 4. ubi quærit,
an cuique extra casum necessitatis baptizare
liceat. Negat D. Thomas l. c. at Caietanus
dicit: *Peccatum mortale non video*, si quis sine
solemnitate baptizet. Ecce præter reflexio-

nes in priorem textum allatas, quæ hic quo-
que locum habent, adverte, quòd non di-
cat, *non est peccatum mortale*; quin hoc iudi-
cium directum suspendit, & nihil directè
asserit de veritate ut est in se, sed unicè su-
pra iudicii directi suspensionem reflectit, &
ait, se non videre peccatum mortale: ergo
modus resolvendi dubia speculativa aut mor-
alia, non per iudicium directum de verita-
te, sed per solum reflexum de rei probabili-
tate, aut non probabilitate, apparentiā, aut
non apparentiā, est apud Antiquos utilissi-
mus, non tantum quoad opinari, sed &
quoad operari, aut omittere operationem.

Rursum tom. 1. Opuscul. tr. 31. respons. 13. N.
ad dub. 7. quærens, qualiter quis possit esse co-
certus de non peccato, pullando campanas
die festo, etsi directè dubitet, an pullare die
festo sit peccatum, expressè asserit, quòd si
quis dubitans, an pullare die festo sit illicitum,
& tamen non dubitet sibi hic, & nunc
licitum esse pullare, iste non peccaret pul-
lando, quantumcumque magna esset dubi-
tatio apud eundem de actu pullandi secun-
dum se, an sit licitus, vel illicitus; & simi-
liter quantumcumque esset magnus timor
de eodem. Hæc Caiet.

Ecce 1. non requirit, quòd operaturus
assentiat directè, seu ex motivis directis
stantibus pro licentiā operationis, sed satis
quòd ex reflexis hic, & nunc iudicet se non
peccare pullando, ut rectè notat D. Perea n.
57. & 398. Ecce 2. si non est necessarius, jux-
ta Caiet. assensus directus, eo ipso satis erit
iudicium reflexum certum de probabilitate
objectivā licentiæ actionis, suspensio omni di-
recto de ejus licentiā. Ecce 3. quantumcum-
que vehementer quis dubitet, & timeat, an
pullatio secundum se sit licita, potest quis,
juxta Caiet. sub alio iudicio certo reflexo li-
citè operari, seu pullare: sed strictè dubi-
tans suspendit omne iudicium directum: er-
go suspendens omne iudicium directum po-
test licitè operari: ergo ut quis licitè ope-
retur, necessarium semper non est directum
de rei licentiā iudicium, sed satis iudicium
evidens de probabilitate licentiæ, aut quod-
libet aliud nixum alteri principio.

Pariter 2. 2. qu. 172. art. 6. ait: Hoc so-
lum dicendum occurrit, quòd Sibyllas, quæ
hic inter Dæmonum prophetas comparan-
tur, superius in quest. 2. art. 7. ad 3. inter
personas in fide Christi explicitè salvatas
comparatæ videantur. Materia siquidem hæc
incerta cum sit, quoniam de individuis non
pertinentibus ad fidem est, modò in unam,
modò in aliam partem declinare permitti-
mus. Hæc Caietanus. Ecce 1. in rebus incertis
permi-

permittit licitum quodlibet opinari. Ecce 2. dicit, *permittimus*; non enim obligat ad iudicium directum, quia est incertum: ergo nemo ullâ lege obligatur ad iudicium directum, ne obligetur ad incertum. Si ergo in rebus speculativis incertis nemo ad iudicium incertum obligatur, nemo quoque in rebus practicis incertis obligabitur ad iudicium incertum: sed omne directum de rebus incertis est tale; immo omne etsi moraliter certum potest esse in re falsum: ergo nemo ad iudicium directum de re incerta obligari potest: sed ex aliâ parte, ut recte operemur, obligamur ad aliquod iudicium; ergo vel ad reflexum certum de probabilitate licentiæ; vel ad directum incertum de rei licentiâ. Ubiam igitur lex à Probabilioristis Modernis asserta, quod nemo sine iudicio directo de licentiâ operari possit?

N. Demum 1. 2. qu. 109. art. 8. §. *In eodem*.
72. ait: Dubium quidem magnum occurrit in
C. Caie. multis. Primò ex ipso Authore, quia in 2.
S. Tho. *diff. 28. qu. 1. art. 2.* rejicit hanc viam, quam
hic tenet pro sententiâ, & arguit contra eam
solvens rationem ejus, & dimittit eam ut falsam;
in hoc autem loco non respondet suis
rationibus ibidem factis, & tamen determinat
oppositum. Hæc Caietanus de S. Thomâ.
Fogar. Ecce quàm importunè à Fogarino, &
S. Tho. Probabilioristis assumatur ut primum
principium, quod ut quis aliquam sequatur
opinionem, solvere debeat rationes oppositas,
cum tamen S. Thom. juxta Caiet. hoc præstiterit.
Si ergo solvende necessario non sunt rationes
oppositæ, signum est, quod necessarium non sit
iudicium directum de veritate, & multo minus,
quod hoc iudicium directum debeat esse certum,
sed satis erit iudicium de probabilitate objectivâ.

N. Secundus est Ferrarientis, insignis quoque
73. D. Thomæ Interpres, qui *lib. 3. contra*
Ferrar. *Gentes cap. 59. pag. 299.* ait: Possumus primo
tenere, quod Beati videant tantum præsentia.
Et ad finem *eiusdem* §. ait: Possumus secundo
tenere, quod Beati eo modo, quo singularia
cognoscunt, &c. Ecce modus, quo quæstionem
resolvit, non est directè affirmando, aut negando:
non enim dicit, *teneo*, sed utitur iudicio reflexo
certo cadente supra probabilitatem objectivam
veritatis opinionis, quasi diceret: Certò probabile
est, quod Beati videant tantum præsentia: ergo
si in dubiis speculativis incertis licitus est
modus illa resolvendi, non directè semper per
veritatem, sed reflexe per probabilitatem, quoties
res est incerta; licebit quoque resolvere dubia
practica per solam certam objectivam probabilitatem
veritatis; non au-

tem obligabimur resolvere semper illa per iudicium directum de veritate: etenim si datur præceptum de iudicio directo veritatis, utrobique datur; nempe veritatis speculativæ, si dubium sit speculativum; practicæ, si practicum.

Tertius est Durandus, Insulis, & Iapien-
74. tia celebris, cui ferè omnis Univerlitas Catholica
Duran. Cathedram destinavit; loquens igitur de cognatione
spirituali inter conjugatos in 4. *diff. 42. qu. 2. art. 3.* ait: Quidam ad-
dunt, quod ille, qui fraudulenter hoc fecit, potest
reddere debitum, sed non licet ei exigere; quod
quavis sit probabiliter dictum, non invenitur in
jure expressum, quod non liceat ei debitum petere.
Hæc Durandus. Ecce 1. vocat probabilem oppositam
stantem pro lege, seu negantem tali conjugato
licentiam petendi debitum. Ecce 2. quavis opposita
stans pro lege sit Durando probabilis, quia tamen
non est in jure expressa, id est, non est certa, ideo
Durandus sequitur stantem pro libertate, nixus
huic nostro principio, Lex non certa non obligat;
& ideo quia non invenitur expressa prohibitio,
innuit Durandus, quod illi conjugato liceat petere
debitum. Ecce 3. modus reflexus regulandi
conscientiam æquivalens directo: non invenio
expressam legem vetantem; seu esto mihi
probabile sit dari legem vetantem licentiam
petendi debitum, attamen mihi certo probabilius
est eam non dari; quod iudicium reflexum de
objectivâ probabilitate non legis vetantis
æquivaleret huic directo, Licet petere debitum:
& conscientia conjugati æque regulari potest à
solo iudicio reflexo de certâ probabilitate non
legis vetantis licentiam petendi debitum, ac à
solo directo de veritate ejusdem non legis: id est,
tam ab hoc solo, est probabilius non dari legem
vetantem; ac ab hoc solo, non datur lex vetans:
ergo juxta modum discurrendi, quo Durandus in
re tam gravi utitur, non est necessarium iudicium
directum de veritate, sed satis reflexum de certâ
probabilitate, aut probabilitate veritatis.

Quartus est M. Victoria, quo nemo tuo
N. tempore scientior, qui loquens de Homicidio
75. in *Relezione de Jure Belli n. 4.* ait: Et hoc
M. Via. reverà, seculo scandalo, videtur licere &c.
Ecce ait, *videtur*, iquod est iudicium reflexum
supra objectivam probabilitatem licentiæ;
& est idem, ac certò mihi probabile est
licere; non autem absolute ait, *licet*. Similia
habet n. 5. ubi ait: Credo, quod per injuriam
percutissus possit statim revertere; quæ tamen
opinio hodie est improbabilis, & unice ad rem
meam noto, quod cum suo

fuo tempore incertum fortè eſſet, an ea incontinens repercuffio liceret, M. Victoria juxta prudentium virorum morem locutus eſt, ſuſpendendo judicium directum, non enim dixit, poteſt repercutere, ſed credo, ſeu mihi probabile eſt, quòd poſſit. Similiter in *Relección de Simoniá* pag. 193. ait: Bonà veniã tantorum virorum (inter quos reſulerat S. Thomam) ſequeretur libentius ſententiam Canonitarum, & ideo reſpondet probabiliter per conſuſiones: Prima eſt &c. Ecce iterum in re incertà ſibi, ut prudentius reſolvat, appellat immediatè ad veritatis probabilitatem, non ad veritatem. Omitto alia ejus loca, in quibus ſuſpenderit judicium directum de veritate, ſolo contentus reflexo de objectivà veritatis probabilitate: ergo, juxta M. Victoriam, queſtio incerta ſapienter reſolvitur per ſolam probabilitatem, & conſcientia honeſtè regularetur per ſolum judicium de probabilitate veritatis, omiſſo directo de veritate.

N. Quintus eſt M. Soto, ejuſdem M. Victoriam ſapiens diſcipulus, qui in 4. diſt. 18. 76. *qu. 2. art. 5. §. Unde ad argumentum.* hæc M. Sot. habet: Quamvis Sacerdos exiſtimet opinionem eſſe falſam, non tamen inde exiſtimare debet ſibi non licere illum abſolvere, ſignificans propter probabilitatem excuſatur ille a culpa. Hæc M. Soto. Ecce 1. in terminis noſtra mens, non enim ait, propter veritatem, aut propter probabilitatem; immò nec dicere poteſt: etenim cuiſlibet propria eſt probabilior, & oppoſita eſt minus probabilis; ſed propter probabilitatem opinionis excuſat à culpa Sacerdotem abſolventem, etſi iſte opinionem pœnitentis, non tantum minus probabilem, ſed falſam putet: ergo ſi, juxta M. Soto, licet operari, ſeu abſolvere, itante judicio directo ſubjectivè probabiliori de falſitate opinionis oppoſitæ, & de veritate propriæ, unito cum judicio reflexo de objectivà probabilitate veritatis, ejuſdem opinionis oppoſitæ, multò magis licebit ſub ſolo reflexo de objectivà probabilitate, ſuſpenſo directo ſubjectivè probabiliori de veritate propriæ, & de falſitate oppoſitæ. Ecce 2. quòd M. Soto totam rationem excuſantem à culpa Sacerdotem abſolventem, quamvis putantem opinionem pœnitentis eſſe falſam, reſundit in certam objectivam, & quidem minorem probabilitatem veritatis opinionis pœnitentis: ergo ſolum reflexum de certà objectivà probabilitate, ſive maiori, ſive æquali, ſive minori judicium ſatis eſt, juxta M. Soto, ad rectè operandum. Ecce 3. quòd Sacerdos tunc abſolvens caret omni directo judicio de veritate opinionis pœni-

tentis, quin, juxta M. Soto, habet judicium directum, ſive ſubjectivè probabilis de falſitate opinionis pœnitentis, ſive de veritate propriæ, (cum quo implicat judicium directum, etſi minus probabile, de veritate opinionis pœnitentis, nam implicat probabilitas ſimultatis utriuſque judicii ſubjectivè probabilis contradictorii: ergo talis Sacerdos, juxta M. Soto, honeſte operatur ſine omni judicio directo ſubjectivè probabilis de veritate opinionis pœnitentis, juxta quem cum abſolvit: ergo ad honeſte operandum neceſſarium non eſt judicium directum de veritate opinionis, ſed ſatis ſolum reflexum de certà, etſi minori probabilitate veritatis opinionis.

Plurima alia M. Soto tradit in noſtri ſeculi volumine, tum de *Secreto qu. 4. Membr. 2. p. 77. 8. conſuſ.* ubi ait: Probabile eſt denuntiatum M. fraternaliter poſſe eſſe teſtem, cum finito proceſſu fraternali incipit forum judicialiter: ecce reſolvit per probabilitatem: tum ibi. 10. de *Juriſ. qu. 5. art. 3.* ubi loquens de cæcis, aut qualiſcunque, qui horas aliquas memoriter ſciunt, an illas recitare teneantur, ait: Non ſum omnino certus, an ſint cogendi recitare. Ecce 1. ex eo quòd non eſt certus de lege, non obligat recitare: ecce 2. eo quia non eſt certus de lege, probabile putat non eſſe cogendos; adeoque per probabilitatem veritatis, non per veritatem opinionis eos excuſat: tum in 4. diſt. 8. *qu. 2. art. 4. conſuſ.* 13. §. *de ſimplici* ait: Non clarè video litem, ſi puella, quæ non eſt ſub curâ parentum, ſua ſponte virginitatem vult perdere, quòd ſit diſtincta ſpecies luxuriæ à ſimplici fornicatione &c. Immo fortasſe, licet eſſet ſub curâ parentum, etſi illis aliquam injuriam faceret, non mutaret ſpeciem. Siquis ergo contrariam habeat opinionem, abunde in ſenſu ſuo, ſed tamen ego arbitror hanc eſſe probabilem. Hæc M. Soto. Ecce 1. quia non clarè videt eſſe ſpeciem diſtinctam luxuriæ à fornicatione, non audeſt affirmare eſſe diſtinctam: ergo ex M. Soto, ut ahquid affirmetur eſſe peccatum, (nam peccatum diſtinctum eſt novum peccatum) debet clarè conſtare lex. Ecce 2. ſuſpenderit judicium directum circa quaſitum, an virginitatis jactura ſit peccatum ſpecie diſtinctum à ſimplici fornicatione; & unice appellat ad reflexum de probabilitate; idem enim æquivalenter eſt dicere, non clarè video, non mihi conſtat eſſe peccatum, ac dicere, certo mihi probabile eſt non eſſe peccatum.

Similiter idem M. Soto in 4. diſt. 13. *qu. 2. N. art. 3.* ait: Quando violatio Eccleſiæ eſt occulta, nec opus eſt Miſſas, & Sacramenta ſuſpendere.

pendere, nec Ecclesiam reconciliare: & est communis opinio. Ecce non dicit, est opinio vera, sed communis; & ex eo, quod communis sit, adeoque regulariter certò probabilis, putat licitum celebrare, etsi suspensio iudicio directo de veritate, seu de licità celebratione, contentus solo reflexo de licità celebrationis certà probabilitate. Et ibid. *dist. 18. qu. 4. art. 5. conclus. 3.* quærens, an liceat Confessario dicere de publicà meretrice: illa mihi confessa est suum meretricium, & à me absoluta; ait: Videtur esse licitum: Caietanus negat id licere; & profecto hæc opinio est mihi probabilior, quàm contraria. Ecce non assentitur directè opinioni Caietani, sed reflexè, nempe illi ut sibi probabiliori. Et ibid. *dist. 18. qu. 2. art. 4. §. alia autem sunt*, postquam dixit diversas dari opiniones circa obligationem confitendi circumstantias aggravantes, ait: Quidam opinantur solas circumstantias mutantes speciem esse de necessitate confessionis; atque hujus opinionis fuit D. Thom. D. Bonav. & Durandus; & est ferè communis opinio. Ecce ex hoc iudicio reflexo, quod opinio sit communis, iudicat M. Soto licitum juxta eam operari, etsi suspensio iudicio directo de veritate. Immo idem M. Soto §. *colligamus*. recedit à dictà opinione, etsi communi: ergo non est idem opinionem esse communem, ac esse veram: idem autem est, juxta M. Soto, opinionem esse communem, ac licitum juxta eam operari: cur autem, nisi quia communis solet esse certò probabilis? Et ideo DD. dicere solent hanc, aut illam opinionem esse communem, ut indicent licitum eam sequi, & juxta eam operari: sed iudicium de communitate opinionis non est iudicium de veritate illius: ergo ut quis licite operetur juxta aliquam opinionem, necesse non est iudicium de ejus veritate; satis de certà ejus probabilitate, ut accedit regulariter opinionibus communibus. Et ibid. *dist. 24. qu. 2. art. 4. §. & vero*. ait: *Opinio de gratiâ in sumptione Sanguinis* (nempe, an sub utraque specie communicans recipiat maiorem gratiam) *non est tam probabilis, quàm quod unus tantum, idemque gradus in sumptione Corporis conferatur*. Ecce utramque speculativam opinionem iudicat etsi inæqualiter probabilem; immò ecce suspendit iudicium directum de veritate, contentus solo reflexo de probabilitate veritatis.

N. Sextus est M. Medina, passim ut Author Probabilitatum commendatus, quique frequenter in rebus incertis directum suspendit de veritate iudicium, contentus solo reflexo de probabilitate veritatis. Ita 1. 2. qu. 74. art.

8. *dub. 3.* cum M. Victoria de opinione tunc probabili, hodie tamen improbabili, ait: Videtur non esse mortale: Non dicit, non est mortale. Non est autem quod Lector mihi vitio vertat, quod retulerim Antiquiores aliquos, qui aliquibus opinionibus, hodie improbabilibus, probabilitatem dederint: non enim omnia scire potuerunt; nec omnia uno sæculo discuti potuerunt; cum hanc quoque gloriam præsentis, & futuro sæculo Deus reservavit. Et ideo M. Victoria, & M. Soto, ut scitè excusent aliquas D. Thom. opiniones, quas deinde retractavit, dicunt; ille *Relezione de Simoniâ n. 25.* quod S. Thom. opinionem sui temporis secutus; iste in 4. *dist. 24. qu. 1. art. 4. §. Ad vero*. quod opinionem vulgi secutus sit; innuendo nobis opiniones aliquas habitas à nobis hodie ut improbabiles, immò ut damnatas, habitas fuisse tempore antecedenti ut probabiles, quod idem temporibus futuris fortè eveniet aliquibus opinionibus auditis hodie ut certò probabilibus; immò moraliter certis.

M. Sot.
M. Vict.

§. II.

Alij celebres Thomistæ.

S U M M A R I U M.

M. Bannez solvit dubia non per veritatem, sed per probabilitatem, n. 80.

M. Serra, n. 81.

M. Mart. de Prado, n. 82.

M. Baro, n. 83.

M. Passerinus, etsi Probabiliorista, tueretur nostra principia, quod sola certa lex obligat, quod possessio libertatis teneat in omni materia, n. 84.

Sibi contradicit, ibid.

Ait satis certum de probabilitate iudicium, ut recte operemur, n. 85. 86.

M. Passer. plurima resolvit tantum reflexè per solam probabilitatem, à n. 87. 88. 89.

An opinio probabilis det jurisdictionem? n. 88. 89.

Error juris dubij æquivalet dubio facti, ibid.

M. Sylvester accipit ad solum reflexum de maiori probabilitate, n. 90.

Idem agere fert, quod Caietanus velit, S. Thomam docuisse opinionem de coexistentiâ futurorum æternitati, ibid.

M. Conradus resolvit per probabilitatem, n. 91.

M. Petrus, & M. Martinus de Ledesma per probabilitatem, n. 92. 93.

M. de la Cruz, & M. Acacius de Velasco per probabilitatem, n. 94. 95.

Septi-

N. **S**eptimus est M. Bannez, qui 2. 2. qu. 2. 80. *Art. 8.* solvens dubium, an fides explicite sit necessaria, ut sine ea nemo possit salutem consequi, seu sit necessaria necessitate medii, ait: Non est hæresis, nec temerarium, nec scandalosum asserere, quod quis modo assequi possit vitam æternam sine fide explicita Christi D. Hanc conclusionem ponimus

contra Caietanum, quia oppositam sententiam tenet Scotus in 4. dist. 5. qu. un. art. 2. ubi constituit sex argumenta satis probabilia; & certè hoc videtur valde probabile. Hæc M. Bannez. Non disputo, an verum sit, quod ea opinio sit valde probabilis, sed unicè confidero modum, quo solvit dubium, non per veritatem, sed per veritatis probabilitatem, quod sæpe facit.

N. **O**ctavus est M. Serra, qui quæstionem de potestate absolvendi ab hæresi resolvit, non per veritatem, sed per summam probabilitatem; ait enim 2. 2. qu. 11. art. 4. Quando conceditur facultas absolvendi a catibus Bullæ Cænæ, & non expressè excipitur hæresis, probabilissimum est, Hæreticum occultum absolvi posse ab illo Confessario electo. Ecce si in re sibi probabilissimā necessarium non putat directum ferre de veritate iudicium, sed ad summam probabilitatem recurrit, quid in rebus magis sibi incertis facturus erit? Et 2. 2. qu. 73. art. 3. dub. 1. de opinione Caietani, & aliorum ait: Puto esse probabilem: & ibid. qu. 76. art. 3. ait: Mihi probabile est, quod plures simul maledicere sit unum solum numero peccatum tam physice, quam moraliter. Ecce iterum in re adeo classica, solā contentus est probabilitate veritatis. Idem alibi passim præstat.

N. **N**onus est M. Joan. Martinez de Prado, qui quidem Probabiliorista est, & tamen à nostro discurrendi modo, & mente non discedit; ita tom. 2. cap. 28. qu. 3. §. 1. apud P. Moy. tom. 2. tr. 2. disp. 1. qu. 3. n. 7. hæc habet: Melius distinctione adhibita (nempe pacti ex iustitiâ, & pacti ex gratitudine) litteram componunt Lessius, Bonac. Trulenc. Lugo, Serra, dicentes, esse usuram, & simoniam, si addit pactum iustitiæ, aut fidelitatis: addit P. Moya n. 18. non ita si sit amicitiae, aut gratitudinis, dare temporale pro spirituali. Ecce ait, melius, seu probabilius: & tom. 1. cap. 8. qu. 9. n. 11. tractans dubium difficultis solutionis, ut videre est apud P. Moyam tom. 2. tr. 3. disp. 2. qu. 5. per totam, ait: Quando potens absolvere ab hæresi occultâ tam longè abest, ut aditus ad eum sit moraliter impossibilis, non videtur mihi

improbabile, quod Episcopus, vel immediatus Religiosis Prælati valeat directè in foro conscientie absolvere; quod generaliter tradidisse videtur P. Suar. tom. 4. in 3. p. disp. 30. sect. 3. &c. Hæc M. de Prado. Et ecce ex iudicio de non improbabilitate opinionis affirmantis licentiam absolvendi, iudicet licitum absolvere: ergo multo magis licitum erit absolvere sub solo iudicio certo de probabilitate opinionis affirmantis licentiam absolvendi. Et tom. 2. cap. 20. qu. 2. §. 3. n. 30. quaerens an Duces, & Milites, qui in bello navali hostes effugere non valent, possint navim igne consumere, ne illi, eorumque bona in hostium manus deveniant, ait: Affirmant Lessius, Malder. Trulenc. Lugo, Serra; & hæc sententia est probabilis, dum tamen, ut advertit Lugo, gravis causa boni publici intercedat. Ecce non per veritatem, aut probabilitatem, sed per solam probabilitatem licentiæ resolvit. Superfedo ab alijs locis, tum quia cuicque obvii sunt, si ejus Theologiam Moralem, & Tomum de Pœnitentiâ revolvat; tum quia plures dedi

dis. 13. n. 405. Decimus est M. Baro, qui Probabiliorista, immò Tutorista est; hic enim 2. 2. Ma. nuduct. d. 2. sect. 2. pag. 263. & 264. defendens aliquam Caietani opinionem, quamvis propriam asserat tutiorem; simul tamen dicit, quod Caietani opinio fuerit illi, ante decretum Pape damnantis, practice probabilis. Ecce juxta M. Baro, ut Caietanus tuto suam sequi posset opinionem, satis et erat, ut illi esset practice probabilis.

Undecimus est M. Passerin. Probabiliorista, qui tom. 1. in 2. 2. qu. 186. n. 278. ait, & quemlibet debere amplecti opinionem, quæ videtur magis consona rationi; hæc enim est probabilior; & n. 281. idem inculcat. Ita tamen hic Author est Probabiliorista, ut nostra principia tueatur, tum de naturali possessione libertatis in omni materia, tum quod nulla lex obliget, nisi sit certa, ut expresse docet n. 239. & 274. ex S. Thom. 1. 2. qu. 4. The. 95. art. 3. & ideo n. 276. ait: Quoties opinio pro non lege est æquæ probabilis, ac pro lege, tunc lex non obligat, quin possidet libertas. Immo n. 246. ait: Circa conclusiones, quæ in re non habent cum legis principis necessariam connexionem, nec probabilissima opinio necessitatem aliquam ferre potest, quia illæ non cadunt sub lege, sed sunt res indifferentes ex humana prudentia determinandæ. Hæc M. Passerinus, volens nec probabilissimam stantem pro lege obligare; at manifesta se offert contradictio: si enim ex n. 246. nec probabilissima stans pro lege

lege obligat; quia probabilissima non est certa, lex autem debet esse certa, ut obliget; quomodo n. 278. ait, quemlibet amplecti debere opinionem; quæ est magis consona rationi, hæc autem est probabilior?

N. 85. Verum, hæc, alijsque contradictionibus dimissis, venio ad præiens meum intentum; etenim præclarus iste, & eximius Probabiliorista apertè sustinet, quod ut rectè operemur, satis sit certum de probabilitate iudicium; nam n. 279. ait: Quoties non apparet, quæ opinio sit certior; sufficit, quod moveatur à principio extrinseco; & quod sit certus de probabilitate, quia non potest habere maiorem certitudinem; & tunc in hoc est tutus, & ita non necessitatur ad alteram partem, sed ad utramque est indifferens; ut eligat quam velit, quia utraque est æquè probabilis, etsi utraque non sit æquè tuta, utraque tamen est tuta; & nulla est contrariè tutior, licet comparative una sit tutior altera; licet igitur non investigatà veritate ex solo iudicio probabilitatis nō liceat quamcumque opinionem sequi, ubi tamen quis fecit, quod in se fuit, & non potuit invenire nisi quod utraque pars est probabilis; potest probabilitate uti, & quam voluerit opinionem sequi. Hæc M. Passerinus.

N. 86. Ecce 1. in terminis nostra mens, quod investigatà veritate, si hæc intra certæ probabilitatis terminos adhuc maneat, adeoque sit incerta, liceat operari ex solo iudicio reflexo de objectivâ opinionis probabilitate; & sequi quam maluerit; id ipsi enim nos dicimus, dum affirmamus, satis se solo esse certum reflexum de objectivâ probabilitate veritatis iudicium; supponimus enim veritatem investigatam; & post serium ejus examen, utramque contradictionis partem manere certò probabilem; atque adeò veritatem manere incertam intra terminos certæ probabilitatis. Ecce 2. non dicit sequendum iudicium reflexum de objectivâ probabilitate, sed de probabilitate; ergo cum æquè, aut minus probabilis sit etiam certò probabilis, licebit ex eodem Authore, sequi iudicium reflexum certum de probabilitate tam maiori, quam minori, nam de æquali expressè affirmat.

N. 87. Porro hæc doctrinâ de solo iudicio reflexo certo de objectivâ probabilitate, aut probabilitate sæpe usus est M. Passerinus. Nam tom. 1. in 2.2. qu. 186. art. 7. n. 215. ait: Probabilis est opinio P. Suar. quod recipere sine licentia Superioris reus aliquam ex illis, quæ Religio dare solet; ex gr. pileum, librum &c. non sit mortale; & n. 228. ait: Veriorem, & tutiorem puto sententiam Tom. III.

Navarri negantem; & n. 236. propositâ difficultate eam unicè solvit dicendo: P. Sanch. lib. 7. cap. 19. n. 10. vult, quod raro contingere possit culpa mortalis; & mm. 327. postquam attulit decretum Tridentini, an necne Religioso vetitum sit ex novo jure Tridentini habere peculium; & an per decreta Tridentini novum jus conditum sit, an antiquum innovatum, negantibus plerisque novum jus conditum, subdit: Hæc dixi non resolvendo, sed discurrendo, & proponendo. Ecce quia nec directè, nec reflexè resolvit, sed purè discurrit, dicit se non solvere: ergo quæstio tam directè per iudicium subjectivè probabile, quam reflexè per iudicium de objectivâ probabilitate resolvitur. Et art. 8. n. 47. querens, an Religiosi ex vi voti obedientiæ teneantur obedire S. Congregationi Regularium, relatâ opinione affirmante, subdit: Sed hoc esse incertum melius dicunt alij; & post pauca ait: Confirmatur; quia cum non sit undequaque certum omnino Pontificem habere hoc speciale dominium, ut Religiosi teneantur ei obedire ex voto, nam & Doctores plures hoc tenent solum ut probabile; & P. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 10. cap. 11. n. 13. non parum formidat, &c. ecce tum resolutio quæstionis directæ per reflexum iudicium de incertitudine sententiæ affirmantis obligationem; tum usus nostrorum principiorum, quod lex incerta non obliget; immo plus dicit M. Passerinus Probabiliorista; nam vult Religiosum non obligari ex vi voti obedire Pape, quatenus non est undequaque certum omnino, quod Pontifex habeat hoc speciale dominium, ut Religiosi teneantur ei obedire ex voto. Et n. 49. ait: Non est censendum Pontificem delegare extra ordinem, vel legatis, seu Nuntiis, vel Congregationi auctoritatem, ut Religiosi ex vi voti teneantur illis obedire. Ecce suspensio iudicii directi.

Et tom. 2. in 2.2. qu. 187. an. 347. ubi querit, an Confessor non approbatus, si 88. habeatur communiter ut approbatus, validè absolvat, ait n. 355. Video hoc punctum problema esse, & si ex una parte præponderat multitudo Doctorum, ex aliâ superat rationis vigor. Mihi videtur, quod probabile sit, ad hoc, ut gesta ratione publici officij sint valida, satis sit pacifica possessio &c. Et n. 356. querens, an opinio probabilis det jurisdictionem, quatenus Ecclesia censetur eam dare illi, qui probabiliter putat se eam habere, ait, quod etsi aliqui hoc negent, se tamen non videre difficultatem, si eam opinione probabiliter jungatur error

V. commu-

communis: Quia si Ecclesia confert jurisdictionem habenti titulum coloratum cum errore communi, et si talis alias sit in malâ fide, & sciat se non posse confessiones audire; multo magis dicenda est illam conferre ei, qui bona fide probabiliter credit se posse id facere, si habeat titulum coloratum, & errorem communem. Hic vero non deficit titulus coloratus, quia qui probabiliter putat se posse absolvere, id facit, quia iudicat se approbatum saltem ex privilegio; privilegium autem est titulus saltem coloratus. Unde est, quod qui audit confessiones probabiliter putans se posse id facere, si adest error communis, valde absolvit; & non inter est, an in hoc sequatur opiniones minus, aut magis probabiles, maxime si verè iudicet sibi licere sequi minus probabilem. Hæc Probabiliorista Passerinus, quæ an convenient cum obligatione sequendi probabiliorem, & an plus concedat, quam Probabilista, viderint alij. Hoc tantum noto, quod per hunc Probabilioristam iudicium certò probabile de jurisdictione satis sit, ut quis valde absolvat, immò ut licet, et si enim non omne quod valde sit, licet fiat; hic tamen cum queratur, an licitum sit absolvere valde sub iudicio de certâ probabilitate jurisdictionis, eo ipso quod valde absolvitur, licet absolvitur.

Prosequitur n. 357. Sed & præciso errore communi facti, & absque necessitate recurrendi ad legem *Barbarius*, iudico, quod probabilitas sufficiat ad obtinendam jurisdictionem, quantum opus est ad valorem actuum, quia hoc petit utilitas communis; & quidem non negabitur, quod maior probabilitas sufficiat. Ecce non tantum probabilitas, sed probabilitas, juxta M. Passerinum, satis est ad valorem actuum: & n. 358. hoc explicat: quia licet unusquisque teneatur sequi eam opinionem, quam omnibus pensatis iudicat simpliciter verior, secundum sententiam, quam secutus sum 2. q. 186. art. 8. n. 284. & licet ubi omnibus pensatis nulla opinionum appareat simpliciter probabilior, sed utraque est probabilis, multi teneant, quod necesse sit sequi eam, quam dicunt tutiorem; tamen hæc non sunt certa; & jam quamplurimi DD. sentiunt, quod quando utraque verè, & sine dubio est probabilis, liceat sequi quamcumque, etiam relictâ minus probabili, & minus tutâ: (credo, quod sit error Typographi; debet enim dicere, relictâ magis probabili, & magis tutâ; nam contraponit sententiam de usu minus tutâ minus probabilis, sententiæ obliganti ad tutiorem inter probabi-

les.) Unde in hoc jus verè est dubium, valde controversum, & incertum: & qui sequuntur sententiam admittentem indifferenter usum probabilium opinionum, simul sentientes hoc esse de jure verius, & probabilius, sunt in bonâ fide; & dum practice iudicant, & in singulari eligunt id, quod est verè probabile, seu quod certò tenent esse probabile, & postea iudicant se tuto posse illud eligere, bona fide agunt, sequentes quamplurium Doctorum placitum: (ecce vera esse, quæ à me notata sunt circa errorem Typographi; quod si quis hoc neget, parum interest, attamen saltem in immunitate allatus loquitur M. Passerinus de nostra opinione.) Itaque jam in hac parte jus est verè dubium; & hic error est ex una parte valde communis in Ecclesiâ apud Fideles, & licet sit error juris, error autem communis excusans, & faciens ut facta sub eo sint valida, sit error facti; attamen sciendum est, quod error juris dubij æquivalat dubio facti; & citat plures Juristas. Ecce quam benè sentiat de licito usu minus tutæ minus probabilis; immò ecce solum iudicium de certâ probabilitate jurisdictionis, validum, & licitum facit absolutionem. Denique ecce, quod solum iudicium reflexum de probabilitate nostræ sententiæ tunc licitum sequi quamlibet certò practice probabilem, satis sit ad operandum. Lege M. Passerini. ubi plura tum pro licito usu cuiusvis certo probabilis, tum pro licentiâ operandi sub solo iudicio reflexo de probabilitate objectivâ, aut saltem probabilitate.

Duodécimus est Sylvester Sacri Palatii N. Magister, & nobilissimus Summistæ, quem 90. Probabilioristæ ad sua castra trahere conantur; hic ergo Author verb. *Confessio* n. 1. q. 9. ait: De aggravantibus intra eandem speciem sunt opiniones; sed secundum D. Bonnav. communior, secundum D. Thom. probabilior est, quod necessarium non sit eas confiteri. Ecce suspensio iudicio directo de veritate, an circumstantiæ purè aggravantes sint necessariò confitendæ, recurrit ad probabilitatem, & communioritatem opinionum; quo solo iudicio reflexo habito de communioritate opinionis negantis, honesta erit omisio circumstantiarum intra eandem speciem. Similiter verb. *Opinio* cum Panormitano asserit excusari a peccato, qui ex affectu ad suum Doctorem sequitur ejus opinionem, iudicans probabiliter esse veram; ait Mastrius in 2. d. 5. n. 61. id est, iudicando certò probabiliter, quod sit vera. Rursus in Confessor. q. 14. art. 16. loquens de sententiâ D. Thomæ, qualiter futura sint Dei

Dei eternitati presentia, ait: Circa quod plures Thomistae maximas anxietates patiuntur, quia intelligere nequeunt, quomodo sint vera quaedam falsa, quae S. Doctores imponunt. Est autem mirabile, quod S. Thom. voluerit uno verbo talem opinionem fundare, (alludit ad opinionem Caietani) quam quisque experitur se non posse imaginari, vel intelligere, quod res coexistant, antequam existant; & quod sint praesentes, antequam fiant. Ecce tantus Doctor per hoc solum iudicium modale (mirabile est) putat se plus dicere, quam per hoc directum, (S. Thom. hoc non dicit) Sed quid plura, cum passim in sua Summa recurrat ad solam probabilitatem?

Decimotertius est M. Conradus 1. p. resp. cas. qu. 264. ubi loquens de Missae suffragio ait: Tutius est simpliciter dicere, quod suffragia non proficiunt damnatis. Ecce in re hodie certa, suo tamen saeculo forte incerta, utitur, ut prudenter procedat, solo iudicio reflexo de opinionis tutioritate, imitatus prudentiam, & modum loquendi D. Thomae. Et eadem 1. part. qu. 198. loquens de opinione hodie indubitata, suo tamen tempore dubia, ait: Haec opinio mihi magis placet: non dicit, est vera, sed utitur iudicio reflexo cadente supra maiorem probabilitatem, aut veritatem obiectivam. Et ibid. qu. 331. ait: Si in Francia audivi confessionem Petri, quem hic coram illis, quibus notus est, dico fecisse peccatum veniale, non tamen suspicantur me audivisse in confessione, forte esset probabile illam revelationem non esse peccatum mortale, quia est in re minima, mihi tamen verosimilius est esse mortale. Ecce resolvit per probabilitatem, non per veritatem, etsi veritas sit certa.

Decimusquartus est M. Petrus de Ledesma, qui crebro in sua Summa Hispanica suspendit iudicium directum; ait enim loquens de Beneficiis simplicibus sine concursu: Videtur mihi valde probabile, & quasi certum, quod non detur obligatio eligendi digniorem. Et loquens de sacrificio Missae cap. 27. relatâ duplici sententia, una volente, quod qui non audivit Missam integram teneatur ad aliam integram; alia tueri latius esse, ut partem, quam in prima non audivit, audiat in alia, ait: Sententia mea est, quod utraque sententia est probabilis, & quilibet in praxi licita. Ecce iudicium de sola probabilitate satis ad licitam praxim opinionis.

Decimusquintus est M. Martinus de Ledesma, qui idem dicit, quod M. Conradus de Confessario revelante peccatum veniale; ait enim: Probabile est non esse mortale, Tom. III.

quia est in re minima. Et in 4. part. 2. qu. 60. art. 5. pag. 507. ait: Probabile est, quod uxor non teneatur reddere, etsi licite possit; licet probabilius mihi videatur, quod uxor teneatur reddere debitum marito petenti; esto petens (nempe incestuosus) peccet. Ecce in utroque casu utitur probabilitate; immo in hoc proximo, utramque opinionem iudicat probabilem, quamvis inaequaliter; & quam sequitur, resolvit per solam probabilitatem veritatis.

Decimus sextus est M. Joan. de la Cruz, N. qui in suo Directorio frequenter suspendit iudicium directum, & pure appellat ad certam probabilitatem opinionis, ut quis hanc licite practicet. Ita 1. p. Praecepto 7. de Resp. art. 2. dub. 9. concl. 5. ait: Probabile est posse dignum presentare ad Beneficium, etiam Curatum, maxime si Patronus sit secularis. Et ibid. qu. 3. de Emptione dub. 6. relatâ sententia, an licitum sit vendere vinum aqua mixtum, ait: Probabile est non licere; sed probabilius videtur oppositum. Et 2. p. de Poenit. dub. 3. opinionem Caietani negantis, quod Poenitens teneatur sub mortali acceptare, & implere poenitentiam, vocat probabilem. Ecce hic, & alibi unice appellat ad solam probabilitatem, aut probabilitatem, suspensio iudicio directo de veritate.

Decimus septimus est Illustr. Episcopus M. N. Acatus de Velasco, plerumque suspendit iudicium directum de veritate, soli nixus reflexo de probabilitate, quaecumque hec sit. Ita tom. 2. verb. Usura, resol. 453. n. 1. querit an eo quod quis se obliget non petitum pretium, possit aliquid supra sortem exigere, ait: Non obstante, quod opinio sit probabilis, iudico opinionem M. Ledesmae esse etiam probabilem, & in praxi securam, dummodo modicum quid exigatur, puta duo, aut quatuor pro centenario. Et tom. 1. verb. Copula ref. 27. ait: Puto probabile non teneri aliquem confiteri, quod copula fuerit cum Iudea, aut Mahometana. Et ibid. verb. Eucharistia resol. 312. n. 3. & 4. ait: Non obstantibus dictis, Granado cum aliis iudicat probabile esse, quod quilibet secularis homini in articulo mortis constituto possit ministrare Eucharistiam &c. & ideo ob dictas rationes, & ob talium Doctorum auctoritatem iudico hanc sententiam esse probabilem. Ecce hic Praeful eam animi, & mentis prudentia procedit in incertis, ut in utroque suo Tomo lingua Hispanica exarato, ut plerumque omittat iudicium directum, & appellat ad solum reflexum de certa probabilitate licentiae.

Reliqui ex inclytâ S. Thom. scholâ

SUMMARIUM.

M. Godoy solâ utitur probabilitate, n. 96.

Idem præstat M. Tapia, n. 97.

M. Fumus, n. 98.

M. Alvarez, n. 99.

M. Gonet. a n. 100. ad 105.

Idem plurima resolvit per probabilitatem, & probabilioritatem, & solutiones probabiles, ibid.

Probabilem cognitionem vocat certitudinem, n. 103.

An dubium speculativum non impedire, ne operemur, sed tantum practicum, ibid.

An, quod homo per probabilem conjecturam fiat practice certus de non peccato, ibid.

Docet expresse, tum quod solum iudicium de probabilitate sit satis, tum quod etsi sumus incerti speculative de honestate objecti, fieri possumus practice certi de honestate actus, ibid.

Dat simultaneam probabilitatem utrique contradictorie, n. 104.

Plurima modo improbables erant Antiquis probabiles, n. 105.

N. 96. **D**ecimus octavus est Illust. Godoy Thomistarum Modernorum facile Princeps, qui cum æquè doctus, ac prudens fuerit, ipsissimè solâ probabilitate objectivâ contentus est. Ne verò actum agam, lege quæ dedi d. 13. scilicet. 6. a n. 399. ubi plura refero ex eodem; necnon celebre ejus dictum contra negantes probabilitatem opinionibus oppositus.

N. 97. **D**ecimus nonus est Illust. Tapia, sanctitatis, & doctrine nomine Hispanis notus, qui utroque suo *Tomo Catenæ Moralis* plurima per solam certam probabilitatē resolvit. Inter alia autem lib. 1. qu. 8. art. 10. exponens, quid sit conscientia dubia, hæc habet: Hæc non reperitur in eo saltem, qui certò judicat opinionem esse probabilem, & tutam, ac proinde nullum esse peccatum; nam si certum iudicium est, reverà dubium non est. Ecce disertè ait non peccare, qui sequitur iudicium certum de probabilitate; loquitur autem de probabilitate objectivâ, ut patet ex terminis, nam ait, quod certò judicans opinionem esse probabilem non peccet: non autem dicit, quod judicans subjectivè probabiliter opinionem esse veram non peccet. Vide quæ dedi ex eodem disp. 13. n. 402.

N. 98. **V**igésimus est M. Fumus in *Armilla verb. Hora*, quærens, an Religiosi professi, Sacris tamen non iniati, teneantur ad Horas Ca-

nonicas, ait: Contrarium tenent alii communiter; (nempe quod teneantur) meliorem videtur opinio Caietani, (nempe negans.) Ecce non assentitur directè opinioni Caietani, sed reflexè judicans eam meliorem, seu probabiliorē.

Vigésimus primus est Illust. Alvarez disp. N. 191. qui ait, probabilius esse, quod veniale uniri possit cum solo originali, adeoque oppositam Divi Thom. sententiam ait esse Mathematicè, testante Maitre in 2. disp. 4. num. 60.

Tandem M. Gonet, qui est Probabiliorista, sed sui ipsius oblitus, modum, quem reprobat, passim approbat. Nam tom. 5. disp. 2. de *Exist. Sacrament.* postquam attulit verbum D. Thomæ 3. p. qu. 70. art. 4. ad 2. a me suprâ allatum, in quo S. Thom. dixerat probabile esse &c. ait M. Gonet. n. 61. Verum simile etiam est in statu legis naturæ fuisse necessarium aliquod Sacramentum: & n. 93. ait: Fateor D. Thomam in oppositam opinionem inclinasse ut probabilem: & ibid. disp. 3. de *Gratiâ Sacram.* relatâ aliquâ solutione ait: num. 77. Hæc solutio, & doctrina, haud dubiè valde probabilis est: & n. 80. ait: Hæc solutio probabilitate non caret: & n. 122. ait: Licet probabile sit &c. & n. 133. relato duplici modo dicendi Thomistarum ait: Hic dicendi modus videtur probabilior: & n. 137. citatâ duplici sententiâ ait: Videtur probabilior, & communior: & disp. 6. n. 103. ait: Probabile est Sacerdotem celebrantem in peccato mortali tria mortalia committere, conficiendo, recipiendo, & sibi ministrando; quia probabilius est, quod ministrare Eucharistiam in mortali sit mortale: & n. 110. ait: Probabilius est mortaliter peccare Diaconos, & Subdiaconos solemner suâ officia exercentes in peccato mortali: & n. 117. postquam affirmavit licitum esse petere, & accipere Sacramenta à malo Ministro, quatenus ea petens non cooperatur ejus peccato; sicut nec qui mutuum accipit ab usurario jam parato dare mutuo ad usurum, ait num. 118. quod sit verior, aut saltem probabilior opinio, quod malus Minister teneatur ante ad contritionem, non autem satis attritionem, nec necessariam confessionem, exceptâ Eucharistiæ sumptione.

Similiter tom. 5. tr. 3. d. 1. n. 117. ait valdè N. 101. probabile esse quod rebaptizati, & rebaptizantes sub conditione non incurrant irregularitatem: & n. 131. ait sententiam tunc, quod Martyrium iustificet ex opere operato, esse probabiliorē: & disp. 4. de defectibus Baptismi n. 55. conclus. 3. ait: Probabile

babile etiam est Sacramentum Poenitentiae fide susceptum, recedente fictione, producere suum effectum: & *n. 57. concl. 4.* ait: Dico 4. Probabilius videtur Sacramentum Eucharistiae fide susceptum non producere suum effectum recedente fictione: & *disp. 7. n. 24.* se subscribere ut veriori, & probabiliori sententiae tuenti non licere Aethiopicis, seu Abassinis se circumcidere mortificationis gratia, vel ad gerendam corporalem cum Christo D. similitudinem: & *disp. 6. n. 19.* ait: Dico 2. Longe probabilius est Sacramentum Confirmationis fuisse institutum in nocte Coenae: & *n. 44.* relatam opinionem tuente, quod simplex Sacerdos possit ex commissione Papae consecrare Christina necessarium ad Sacramentum Confirmationis, ait: Sententia negans magis placet.

N. Rursus *tom. 5. tr. 4. d. 5.* de Euchar. Sacram. *n. 75.* ait: Cum probabile sit Christum D. e Caelo oculo corporis videre omnia, quae sunt, & aguntur in terra; asserere etiam debemus (intellige probabile esse) hanc visionem per concomitantiam eidem in hoc Sacramento existenti convenire, & ex Sacramento illa omnia videre: & *disp. 7. n. 15.* ait: Dico probabilius esse, & menti S. Thomae conformius, omnia verba, quae in consecratione Calicis proferuntur, esse de essentia formae: & *disp. 8. n. 18.* ait: Dico probabilius esse, quod corporum resurrectio solum moraliter cauetur ab Eucharistia: & *n. 32.* ait: Dico 1. Probabilius est hoc Sacramentum causare gratiam in instanti extrinsece terminativo manducationis: & *num. 37.* ait: Dico 2. Valde probabile est, quod si eo tempore, quo species sacramentales remanent in stomacho, homo novus, ac ferventior charitatis actus eliciat, quibus magis, ac magis se disponat, recipiet maiorem gratiam ex opere operato: & subdit ex C. de Lugo *d. 12. n. 46.* quod licet olim haec opinio male audierit, hodie communiter recipitur: & *disp. 10. n. 18.* ait: Opinio negans licitum esse in ullo casu Subdiacono, vel Laico ministrare Eucharistiam, communior, & probabilior est: & *disp. 11. n. 91.* ait: Dico 4. Valde probabile est Sacrificium Missae remissionem peccatorum venialium aliquo modo immediate causare: & *tr. 5. disp. 4. n. 92. ad finem* ait: Probabilior videtur opinio, quod anima a corpore separata actum charitatis, aut contritionis, quo peccata venialia detestetur, eliciat in ingressu purgatorii: & *disp. 7. n. 1.* ait: Referuntur sententiae, & verior, seu probabilior eligitur. Nota ly seu, adeoque dum alibi eligit sententiam, ut verior, eligit ut probabiliorem: & *disp. 9. n.*

Tom. III.

47. *ad finem* ait, quod Sacerdos cum iurisdictione tantum probabiliter (non dicit probabiliori) valde absolvat, quia Ecclesia censetur supplere defectum iurisdictionis: & *disp. 10. n. 44.* loquens de sententia obligante facit circumstantias notabiliter aggravantes ait: Videtur probabilior: & *disp. 11. n. 25.* quærens, an sigillo confessionis teneatur, qui aliquid dicit alteri ea conditione, ut fervet sub sigillo confessionis, ut saepe accidit, ait: Probabilius est in eo non esse aliam obligationem, quam secreti naturalis.

Et *tom. 4. tr. 8. d. 1.* de necessit. Gratiae *n. N.*

323. ait: Multo probabilior est sententia a-
103.
serens nec omnia venialia ex genere, aut par-
M. Gon.
vitate materiae posse hominem iustum diu vitare cum gratia, & auxiliis ordinariis: & *n. 339.* postquam directe asseruit, quod aliqui Sancti speciale privilegium habuerint vitandi omnia venialia collectivè, in aliqua tamen tantum determinatè materia, (soli enim Deipara concessum vitare in omni) ait *n. 342.* Quod verò probabile sit aliquos Sanctos habuisse privilegium &c. Ecce in conclusione ponit iudicium directum; in probatione autem pure appellat ad reflexum: ergo etiam alibi saepe proferat iudicium directum, intelligi potest ut hic, nempe probabile esse, quod ita sit: & *disp. 5. art. 2.* quærens, an homo habere possit certitudinem omnino infallibilem de suo statu gratiae, ait *n. 20.* non posse habere talem certitudinem moralem, similem ei, quæ assemtior, Roma est, seu quæ omnem formidinem excludat; posse tamen, ait *n. 24.* habere probabilem, seu conjecturalem cognitionem, seu certitudinem. Ecce probabilem cognitionem vocat certitudinem: ergo dum alibi aliquid inter DD. incertum vocat certum, non est nisi probabile. Immo *n. 26.* ut occurrat argumento, quod si homo non habet certitudinem moralem de statu gratiae, non posset nisi temere sumere Eucharistiam, & alia Sacramenta vivorum, ait *n. 27.* duplex distingui à Theologis dubium, unum speculative, quo dubitamus de re in se; aliud practicum, quo de ejus praxi, seu an eam exequi possimus; dubium autem speculative non impedit, quo minus tuto operari possimus; practicum impedit. Et hinc licet Sacerdos speculative dubitet, an aliquis sit in statu gratiae, si tamen habet probabilem conjecturam de hoc, potest ei licite ministrare Sacramentum vivorum, quia per talem probabilem conjecturam fit practice certus de bonitate talis operis: & licet speculative dubitare possimus, an aliqua Hostia sit consecrata, quatenus dubitare possumus,

V ij

mus, an consecrans sit Sacerdos, &c. quia tamen probabiles de opposito habemus conjecturas, possumus, ac tenemur adorare Hostiam a Sacerdote expositam, quia per tales conjecturas sumus practice certi esse licitum. Hæc ferè ad verbum. Ecce in terminis nostra sententia, tum quod solum iudicium reflexum de probabilitate satis sit; tum quod etsi simus directè speculativè incerti de veritate, & honestate objecti, possumus tamen reflexè fieri certi de licentiâ actionis. Mirabile autem est, quod alibi, nempe *tom. 3. dissert. de Probabilitate*, totum hoc impugnet: & *tr. 9. disp. 1. de Justific. impij n. 165.* ait, probabilius esse, quod actus spei formalis non requiratur ad justificationem, satis virtualis: & *disp. 2. n. 36. ad finem*, relatâ duplici opinione, una tuente Henoch & Eliam hodie mereri, aliâ negante, ait: Quid horum probabilius sit, Lector judicabit: & *tr. 10. d. 4. n. 90.* ait: Videtur probabilior sententia docens Summum Pontificatum esse de jure Divino, & non tantum Ecclesiastico, annexum Episcopatu Romano.

N. Et *tom. 3. tr. 1. d. 4.* relatâ triplici sententia circa composibilitatem peccati cum visione, ait de sententiâ negante, quod sustinetur ut probabilior à Joan. à S. Thom. ab Ildeph. à Serra, & alijs Thomistis: & *disp. 5. n. 56.* ait: Respondet Sotus in *4. disp. 49. qu. 5.* probabile esse quod talis decor specialiter fulgebit in capite; loquitur de Aureolis Beatorum. Superiedo ab alijs ejusdem Authoris locis satis obviis *tom. 3. 2. & 1.* cum satis superque sint quæ ex eodem dedi. Hoc tantum rogo, quomodo sæpe unice ad solam probabilitatem, immò probabilitatē veritatis opinionis accurrat, dimisso omni iudicio directo, cum tamen in *dissert. de Probabilitate* hoc neget? Rursus quomodo sæpe alserit utramque opinionem esse certò probabilem, cum tamen simultaneam probabilitatem neget? Fateor me sæpe advertisse Probabilitatem sui oblitisci, & doctrinam, quam in *tract. de Probabilitate* impugnant, alibi apertis ulnis excipere.

N. Nollem autem, quod Benevolus Lector egrè ferret, quod aliquam opinionem retulerim, hodie improbabilem, Antiquioribus tamen probabilem. Nec enim est, quod de hoc queratur, tum quia in exemplis non requiritur veritas; nec enim hic disputatur, an hæc, aut illa opinio sit probabilis, sed hic unice discutitur, an modus resolvendi dubia per certam probabilitatem veritatis, suspensio omni iudicio directo de veritate, sit Modernorum Probabilistarum inventum, an inveteratus sapientioribus, & prudentio-

ribus antiquis Theologis resolvendi modum tum quia etsi aliqua relata opinio sit hodie improbabilis, vel quia damnata, vel quia opposita est hodie moraliter certa; attamen atate, quâ citati DD. disputarunt, fuit valde incerta, & à pluribus asserta ut probabilis: ergo ex hoc, quod aliqua opinio ex relatis dicatur probabilis, cum tamen non sit, non inde sequitur vitium contra modum resolvendi dubium per solam probabilitatem, sed ad summum erit vitium in Authore dante probabilitatem opinioni non probabili.

SECTIO III.

Ex mente insigniorum Scotistarum.

§. I.

Selectiores aliqui ex Illust. Scoti Scholæ.

SUMMARIUM.

Alensis utitur solâ probabilitate, n. 106.
Angelus, n. 107.
Faber, n. 108.
Medina, n. 109.
Delgadillo solo iudicio reflexo de probabilitate resolvit, n. 110.
Coradua idem præstat, n. 111.
Villalobos, n. 112.
Emman. Rodriguez, n. 113.
Cronsfers, n. 114.
Brancasius, n. 115.
Bordonus, n. 116.
Falsum quod ait Coronus, Aristotelem non distinxisse inter probabile, & probabilis, & solum probabilis esse probabile, ibid.

Inter Scotistas chorum ducat Alexander N. de Ales ab Illust. Cornejo Doctor Doctorum merito in Chronica S. Francisci, di- fertissimo prorsus stylo exarata, appellatus; nec non Divi Thom. & Divi Bonav. Magister. Hic ergo 3. p. qu. 1. membr. 2. art. 1. defendit ut probabilem sententiam speculativam, quod in statu innocentie, eo brevi, quo innocentia vixit, tempore; in primis Parentibus fuerint à Deo instituta aliqua Sacramenta: ergo modus resolvendi dubia per solam probabilitatem est coetaneus Scholasticis.

Secundus est Angelus, cujus Summa ab N. ipsius nomine, & doctrinâ dicitur *Angelica*; 107. hic igitur Author *verb. Luxuria n. 2.* ait: Non credo, quod mutet speciem, & sit circumstantia in confessione aperienda. Ecce utitur negatione iudicii directi; non enim ait, Credo, quod non mutet speciem, & credo, quod non sit circumstantia in confessione aperienda.

enda; sed ait, Non credo, quod mutet speciem, & quod sit aperienda: ergo juxta Angelum potest quis suspensio omni judicio directo de non mutatione speciei, & de non aperienda in confessione tali circumstantia, recte, & licite eam omittere, concepto solo judicio reflexo, vel quod mihi non sit certum; hoc enim significat tō non credo, vel quod mihi sit certo probabile talem circumstantiam non esse necessario aperiendam.

N. Tercius est Philippus Faber celeberrimus Theologus, & Probabiliorista, qui in 4. diff. 15. qu. 3. d. 52. cap. 9. n. 29. loquens de licentia repercussionis in percusso, ait: Hæc opinio mihi videtur probabilior intelligendo de incontinenti repercussione. Ecce in re sibi dubia, an percusso liceret repercutere, non profert judicium directum, sed prudentiam usque ad solum reflexum de objectivâ probabilioritate sententiæ affirmantis licitam repercussionem unice recurrit. Hæc tamen opinio hodie est improbabilis.

N. Quartus est Michael de Medina Doctor Complutensis, qui *Codice de rebus restitendis per usuram acquisitis* qu. 3. ait: Et si mutans dicat, non mutuabo, nisi ultra fortem loco interesse aliquid certum solvat, quod hoc non sit de se illicitum, apparet ex dictis. Ecce non dicit, non est illicitum, ut apparet ex dictis, sed ait, apparet ex dictis, seu certo probabile, aut probabilius ex dictis mihi est, quod non sit illicitum. Utitur ergo judicio reflexo cadente supra probabiliteriam, aut probabilioritatem licentiæ.

N. Quintus est Delgadillo in docto suo Tomo de *Penitentia* cap. 1. querens, an Prælati Regulares vi Tridentini absolvere possint a casibus in Bullâ Cœnæ contentis, resolvit per probabiliteriam; immo loquens de opposita Cardinalium Congregatione concedit esse quidem valde magnæ autoritatis; at non esse satis ad tollendam probabiliteriam dictæ opinionis, quam gravissimi DD. docent. Verum hæc opinio est hodie prorsus improbabilis. Ad rem meam satis est ostendere, quod citatus Theologus plura dubia, præcipue, quæ hinc inde sunt valde incerta, resolvat per probabiliteriam, aut probabilioritatem; quidquid deinde sit, an opinio, cui alterutram tribuit, talis sit.

N. Sextus est Corduba in suo *Questionario*, quem toties Probabilioristæ pro se citant. Cordub. Ille igitur lib. 1. qu. 23. dub. 11. §. Igitur. loquens de delectatione morosa, an necne sit mortale, ait, quod utraque opinio probabilis sit. Hodie tamen opinio negans esse mortale, est prorsus falsa; immo in Expurgatorio S. Inquisitionis asseritur non esse pro-

babilis, & quidem citato eodem Cordubensi. Ecce in re tam gravis momenti dictus Probabiliorista utrique opinioni tam affirmanti, quam neganti tribuit probabiliteriam; immo, quod ad rem meam unice in præfenti facit, resolvit dubium per solam probabiliteriam; ergo juxta hunc Probabilioristam, sub solo judicio reflexo de probabiliteriam licet operari.

Septimus est Villalobos in Summâ Hispanicâ, qui passim utitur solâ objectivâ probabiliteriam in dubiorum resolutione. Ita tom. 2. tr. 3. diff. 2. n. 7. dubium de tempore, quo præceptum amandi Deum super omnia urget, per solam probabiliteriam resolvit.

Octavus est Emman. Rodriguez, qui in Summâ Hispanicâ præ manibus ut plurimum habet solam objectivam opinionum probabiliteriam. Idem dico de Basco in *Floribus Theologiae Moralis*, qui crebro ad certam, & solam probabiliteriam recurrit, ut constabit vel solas ejus paginas obiter evolventi. Idem de Leandro à Murcia, qui vix aliud adeo frequenter usurpat in suis *Disquisitionibus Moralibus*, ac probabiliteriam. Idem de Caspensi, qui tom. 2. tr. 27. d. 6. sect. 3. n. 25. sæpe solius probabiliteriam objectivæ vestigiis insistit; querens enim l. c. an possit omitti monitio secreta, & revelari Prælato crimen, si melius sit correcturus subditum, solâ contentus est summâ probabiliteriam, dicens: Est probabilissima, tot SS. PP. & DD. Scholasticorum autoritate fulcita, immo oppositam censco non tam probabilem. Ecce quâ prudentiâ viri extremè pii, & austeritate celebres (etenim Basco, Leander à Murcia, & Caspensis ex præclaro PP. Capuceinorum Instituto exiierunt) in incertis procedant, etsi illis aliqua opinio sit probabilissima, non ideo obligant ad directum illius assensum, ut eam aliquis licite sequatur, nec oppositam probabiliteriam denudent.

Nonus est Croufers in *Regulâ D. Francisci* cap. 7. lectione 4. qui ait: Probabile censco Hæreticum externum, qui saltem denuntiari non potest, non esse excommunicatum. At fallitur, quia dat probabiliteriam opinioni omnino improbabili; etenim si non esset excommunicatus, absolvi posset, at non potest; ergo est excommunicatus. Non tamen fallitur utens prudentiori modo resolvendi incerta per probabiliteriam, non per veritatem.

Decimus est Brancasius Probabiliorista, qui apud Mastr. in 1. d. 3. n. 15. relato modo, quo Deus cognoscit creaturas, ait diff. Brancas. 16. qu. 10. concl. 1. hunc dicendi modum esse probabilem.

Unde-

N. Undecimus est Bordonus vir multiformis doctrinae, & in re morali, immo in utroque jure, ut ejus opera ostendunt, versatissimus; hic igitur Author in *Propugnac. Opin. Probabilis* cap. 3. n. 4. ait: Communis sententia est invincibilem ignorantiam excusare. Ecce judicium reflexum æquivalens huic directo, Invincibilis ignorantia excusat: & n. 13. sequitur nostram sententiam, quod actus sequens ad conscientiam invincibiliter errantem sit bonus, & pro eâ citat P. Sanch. lib. 1. cap. 12. n. 17. Cornejo, Malder. Lorcã, Palqual. disp. 63. n. 109. ergo (infero ego) erit etiam bonus actus sequens ad judicium invincibile de objectivâ probabilitate bonitatis: & cap. 4. n. 27. ait, quod sententia docens, hanc regulam, In dubio meliorem esse conditionem possidentis, locum habere etiam respectu aliarum virtutum, sit multum probabilis, & solidè, & breviter solvit argumenta opposita; quod idem facit cap. 30. & cap. 5. n. 10. ait omnes docere, quod quis esse debeat moraliter certus de probabilitate opinionis, ut licitè ponat opus; immo cap. 18. n. 50. etsi nobiscum sentiat, nullum requiri judicium reflexum de certâ licentiâ usus opinionis probabilis, sed ipsam opinionem subjectivè probabilem esse certam certitudine prudentialis veritatis, quamvis admitteretur, cuique opinioni intrinsecam esse formidinem actualem, ut suprà dixerat n. 30. ex P. Vasqu. 1. 2. d. 62. cap. 5. n. 26. & 27. quia formido actualis non excludit assensum determinatum alterius partis: non ideo negat fati esse solum judicium reflexum certum de objectivâ probabilitate: & *Fundam.* 1. n. 7. rectè ait, quod probabilitas in opinione nec oritur à lege, nec à salute animæ, nec à commodo, nec ab utilitate, nec à libertate, nec à voluptate; (hæc enim omnia ad summum sequuntur ad probabilitatem) sed à solidâ ratione; & n. 37. rectè impugnat Cotonium Scotistam virum aliàs egregium, cujus humilitatem non minus, quam doctrinam miratus sum; non enim dignabatur vir doctus post sua Typis evulgata adire; immo quasi discipulus audire meos in Collegio Romano Theologiæ Magistros: hic igitur vir lib. 1. contr. 5. de *Consc.* cap. 5. dicit, omnes T. T. & Philosophos antiquos frequentius usurpasse probabile pro eo, quod est probabilius; & quod minus probabile, non putarint probabile. Sed ejus pace, contra illum stat tum textus Aristotelis, quem pro se citat, nam ait, ex *probabilibus*, ait, *magis*, ait, ut *plurimum*: ergo distinxit inter probabile, & probabilius; quod idem præstat in textu sæpe citato, dum ait:

Probabilia sunt, quæ probantur, aut omnibus, (ecce probabilissimum) aut pluribus, (ecce probabilius) aut certè sapientibus, (ecce probabile) aut iis, aut omnibus, vel plurimis, (ecce iterum probabilissimum, & probabilius) vel iis, quorum spectata est, & perfectâ sapientia: (ecce probabile) ergo Arist. distinxit inter probabile, & probabilius, nec solum probabilius putavit probabile. Tum quia stant contra eundem ferè omnes Doctores, quos dedi hæc *Disputatione*. Lege Bordon. *Fundam.* 1. n. 43. ad 65.

Sed magis ad rem accedamus. Bordonus N. in *Praxi Criminali* cap. 3. de *Visin. Regularium* 117. sect. 1. n. 49. respondens quæsitò ait: Prædicti potest probabiliter non comprehendere delicta occulta nulli nociva: & l. c. n. 68. dicit, quod verior, & probabilior sit sententia de non præmittendâ correctione fraternâ; etiam oppositam vocet communior: & ibid. sect. 4. n. 22. quærens, an delicta noxia communitati possint denuntiari, omittâ correctione fraternâ, ait: Est Divi Thom. & communis, quod possit. Ecce directè dicit quod alij dicunt, non quod alij dicunt. Et ibid. cap. 6. n. 1. ait: Est communis sententia sine contradictore: & ibid. cap. 19. n. 39. oppositam propriè vocat communissimam: & cap. 50. n. 19. Dicendum ex probabiliori opinione testem non teneri ad restitutionem ex culpâ veniali: & in *Sacro Tribunalis* cap. 9. de *Heresi* n. 50. ait, opinionem tuentem necessariam aliquam cognitionem de malitiâ, aut obligatione, distinctam à debito sciendi, ut quis peccet, esse verior. Abstineo à reliquis, quæ habet Bordonus in suis Tomis; quamvis enim pleraque quæsitâ resolvat directè, attamen aliqua non nisi reflexè, & plerumque indicat probabilitatem oppositæ, etsi ejus argumenta solvat; per illum autem licitum est omne certò probabile prædict.

§. II.

Reliqui ex subtilissimâ Familiâ Doctores.

SUMMARIUM.

Mastrius à n. 118. ad 124.

Plurima resolvit per probabilitatem veritatis, n.

119.

Ait necessarium non esse judicium de veritate, n.

120.

Resolvit per communitatem opinionis, n. 122.

Torrecilla plerumque appellat ad probabilitatem

objectivam, n. 125.

Franciscus de Ruvere Generalis, Cardinalis, &

Papa solâ probabilitate utitur, n. 126.

Corella ad solam probabilitatem convolat, n. 127.

Idem præstat *Nensser*, & *Porestatis*, n. 128.

Duo.

N. 118. **D**Uodecimus est Maftrius inter Moder-
thor tom. 1. in 1. disp. 6. de *Visione beatâ*, quæ-
rens quomodo Dei essentia concurrat ad
productionem speciei impressæ sui ipsius, ait
n. 19. Licet hæc sententia probabilitatem
aliquam præferat, & utriusque extremæ sen-
tentia incommoda vitet, probabilius tamen
est, &c. Et n. 34. ait: Longe verior, & pro-
babilior, ac magis de mente Doctoris est
sententia, &c. Et n. 102. ait: Licet probabi-
le sit lumen gloriæ non esse quid habituale,
sed solum actuale auxilium, &c. probabi-
lius tamen est, & Concilio Viennensi con-
sonantius, lumen gloriæ esse habitum. Im-
mò num. 107. trahens argumentum contra
suam conclusionem ait n. 108. Si per has ra-
tiones prætendunt RR. probabiliorē esse
sententiam, quod lumen gloriæ sit habitus,
concedimus; si quod pars opposita non sit
probabilis, negamus. Ecce: unice loqui-
tur, & resolvit quæstionem per probabilita-
tem.

N. 119. **E**t tom. 2. in 2. disp. 1. qu. 2. n. 3. §. *Item*
hanc quæstionem. ait: Dixi disp. 3. *Phys. qu. 5.*
art. 2. probabile esse non solum actus super-
naturales, sed etiam habitus educi de poten-
tiâ sui subiecti. Notat autem n. 68. §. *Re-*
spondeo, quod etsi asserat hoc esse probabile,
non tamen asserit esse magis probabile: &
disp. 2. de Angelis n. 147. ait: Dico 2. valde
probabile esse Angelis ab initio fuisse infusas
species naturarum in hoc mundo existentium:
& n. 148. assignans rationem cur dicat
esse valde probabile, ait: Quia oppositum
non est certum: & n. 216. ait: Satis proba-
bile diximus, quod Angeli solo numero in-
ter se differant: & n. 238. (non autem 138.
est enim error Typographi, quem alius sub-
sequentibus communicat) ait: Spectatâ ra-
tione naturali probabilius est, quod Angeli
possint naturaliter cordium secreta cognos-
cere: & disp. 3. n. 43. ait: Dico 1. probabili-
ter sustineri posse Angelos cum aliquâ tali
inconsideratione peccasse, etiam de mente
Scoti: & n. 45. ait: Dico 2. adhuc probabi-
lius esse Angelum ex nullâ tali inconsidera-
tione peccasse: & disp. 4. n. 35. ait: Proba-
bilior sententia est, quod in statu innocentia
soli electi fuissent producendi.

N. 120. **S**imiliter in 2. disp. 5. qu. 2. de *Conse. prob.*
ait n. 49. Cum igitur ut homo licite opere-
tur, & prudens habeat iudicium, quo dicat,
hic, & nunc hoc mihi licet, minimè opus
sit præsupponi iudicium, quo veritati opi-
nionis assentiatur, sed sufficiat iudicium,
quo assentiatur ejus probabilitati, planè stan-
te probabilitate opinionis, quod actus sit il-

licitus, ac ut tali cognitâ per examen fun-
damentorum ejus, poterit adhuc licite con-
trarium sequi, specificantem actum pro li-
cito; licet enim in tali casu exerceat actum,
quem æstimat probabiliter illicitum speci-
ficativè, non tamen reduplicativè; nam
illum exerceat ut à se existimatum licitum
reduplicativè. Hæc ad verbum. Ecce non
tantum praxis nostræ sententia, quatenus re-
solvit dubia per solam probabilitatem, ut fe-
cit *locis antecedentibus*, sed in terminis nostra
sententia de non necessitate iudicii directi.
Rursum n. 129. §. *verum*, ait: Quando dici-
mus in exercitio partis probabilis interveni-
re debere iudicium certum, & evidens etiam
physicè, quod actio sit licita, & honesta,
non intendimus, quod tale iudicium dire-
ctè, & immediatè feratur in honestatem ob-
jecti secundum se, ex. gr. hujus contractus,
sed in probabilitatem honestatis; ita ut sen-
sus sit, est mihi certum, & evidens hunc
contractum esse probabiliter licitum. Ecce
certitudo, & evidentiâ de probabilitate satis
est. Immo addit n. 130. rem valde notandam,
nempe quod iudicium certum, & evidens
requisitum à Reflexivis non feratur in veri-
tatem harum præmissarum, sed in solam pro-
babilitatem veritatis earum; ex. gr. Licet se-
qui omnem certò probabilem; hæc est talis;
ergo licet eam sequi. Ecce maioris veritas,
ait Maftrius, non est certa, sed tantum cer-
ta, & evidens est probabilitas veritatis ejus-
dem maioris. At ceteri Reflexivæ volunt
eam maiorem non tantum esse certò proba-
bilem, sed certò veram in se. Sanè si satis es-
set certa probabilitas, facile esset formare syl-
logismum quoad omnes partes certum; cum
autem hoc facile non sit, saltem suppositâ
probabilitate sententia Anti-Probabilita-
rum, hinc sequitur non satis esse, ut præ-
missæ syllogismi necessariæ ad formandum
certum de licentiâ operationis iudicium sint
certò probabiles, quin debent esse certò ve-
ræ. Hæc obiter. Subdit idem Maftrius n. 130.
hoc idem suo iudicio docuisse P. Vasqu. &
P. Sanc. dicentes, satis esse iudicium proba-
bile, excludendo tantum certitudinem de
veritate opinionis, non de probabilitate. Ec-
ce iterum in terminis, tum mea sententia,
quod satis sit iudicium directum subjective
probabile de certitudine veritatis; tale enim
iudicium probabile est firmum, & certum
de probabilitate non autem sine reflexo de
certitudine probabilitatis; tum sententia,
quam modò doceo, quod satis sit reflexum
de certâ, & evidenti objectivâ probabilitate
iudicium sine directo.

Rursus in 2. disp. 5. n. 177. ait: Commu-
nis

N.
122.
Maistr.

Scot,

N.
123
Malt

nisi sententia doceat actum humanum fumere bonitatem, vel malitiam ab objecto. Ecce nil afferit directè; & etsi ejus rationes directè probent, quod actus humanus fumat bonitatem, aut malitiam ab objecto; ergo assensus reflexus de communitate opinionionis aequivaleret directo de veritate. Eodem prorsus modo discurrit *n. 253.* & *n. 299.* & *n. 310.* his enim in locis judicium reflexum de probabilitate aequivaleret directo: & *disp. 7. q. 9. art. 1. ait:* Opinio negans, quod ut opera justorum sint meritoria de condigno, fieri debeant ex imperio charitatis, ostenditur probabilis ex solutione rationum adverfantium; & *art. 2.* Opinio affirmans ostenditur quoque probabilis ex solutione objectionum negantis: ecce per hoc, quod affirmans solvat rationes negantis, vocat probabilem; & per hoc, quod negans solvat rationes affirmantis, vocat probabilem; ergo solutio objectionum, juxta Mastr. infervit probabilitati, non veritati opinionionis propriae.

¶ *Et in 3. disp. 1. n. 169.* contentus est judicium reflexo de communitate opinionionis: & *disp. 3. n. 43. ait:* Quamvis opinio negativa communior sit probabilior, affirmativa tamen probabiliter defendi potest: (loquitur de pura omissione, num sit meritoria prae-mij supernaturalis.) & *disp. 6. de Virtut. Theolog. n. 185. ait:* Hanc sententiam tradidi ut probabilior em: & *n. 273. agens, & admittens piam affectionem, & quærens, an requiratur in voluntate habitus infusus ad fidei actus imperandos; ait:* Dico 2. pro resolutione questionis difficile esse assignare in voluntate specialem habitum infusum ad imperandos fidei actus; & adhuc difficilius explicare, quamam sit hæc virtus. Ecce non resolvit questionem per judicium directum negativum, sed per reflexum supra difficultatem ejus habitus, & supra maiorem difficultatem, ad quam virtutem habitus ille pertinere deberet: & *qu. 16. art. 1. ait:* Etsi prima sententia sit valde pia, & probabilis, secunda tamen est longè probabilior, nempe quod post sufficientem Evangelij promulgationem necessaria sit necessitate medij ad salutem, & justificationem fides explicita Christi Mediatoris, Divinitatis, mortis, & resurrectionis: & *qu. 18. n. 468. ait,* satis probabile esse etiam in Scoti sententiâ, quod Spes in Beatis maneant quoad habitum, non quoad omnes actus. Ecce qualiter per solam probabilitatem decidit dubia tum speculativa, tum moralia.

men esse, quod sit forma absoluta: & 2. *por.*
ait, verisimilius esse nulla futura fuisse Sacra-
menta in statu innocentie, si duraret: & *disp.* 2. *qu. 4. art. 13. ait*, affirmativam sen-
tentiam, ut probabiliorē, & magis piam
doceri a Scoto, nempe quod Principes Chris-
tiani licet possint baptizare infantes Indu-
lham sibi subditorum, etsi invitorum, cum
cautela tamen, quam ibi declarat: & *ibid.*
2. 20. ait, probabile esse, quod martyrium
in aliquo casu satis in adulato sit, ut recipiat
gratiam habitalem, si adulatus ignoret ne-
cessariam esse attritionem de previs mori-
libus: & *disp.* 3. de Euchar. *qu. 17. n. 407.*
ait: Quamvis utraque opinio affirmans, &
negans maiorem per utratque speciem con-
ferri gratiam, sit probabilis; & negativa sit
communior, affirmativa tamen mihi videtur
probabilior: & *disp.* 4. de Ordine *n. 23.* ait.
Dico 4. esse etiam valde probabile, quod
quatuor Ordines minores veram Sacramenti
rationem habeant: & *qu. 7. n. 130.* proba-
bilis esse, quod effectus remissionis peca-
torum participetur ab Animabus Purgatorii
infallibiliter, & certa lege, & ex opere ope-
rato, medio Missæ sacrificio, & non tantum
per modum liberalis impetrationis: & *disp.*
5. de Penit. *n. 215.* ait, satis pium, & pro-
babile esse, hominem teneri poenitere summa-
liter, aut virtualiter de peccatis dimissis,
quoties deliberatè recordatur: & *n. 470.*
ait: Probabilis puto cum Fabio, Brancato, Fabro
& alijs dari præceptum Divinum confessorie: *Fabro*
nis vocalis, nec erubescantiam exsulare, ut
quis ea scripta consignet, sed solum impoten-
tiam: & *qu. 18. art. 1.* postquam relictis utram-
que sententiam, unam negantem, aliam af-
firmantem obligationem fatendi circum-
stantias aggravantes, ait *n. 480.* Utrunque
sententia probabilis est, & in praxi tunc, etsi
deinde negantem teneatur, ut probabiliorē:
& *n. 491.* ait, quod communior, & proba-
bilior opinio tueri infirmo laboranti in lo-
quendo satis esse, ut dicat in genere se pec-
casse, & taliter loqui impeditum absolvi pos-
se: & *n. 498.* ait: Communior, & probabi-
lior affirmat circumstantiam complicitæ esse
manifestandam, ut confessio sit integra, præ-
sertim si complicitæ nullum damnum sequatur,
quàm infamia apud Sacerdotem: & ecce
in his, alijsque locis, quæ habet in 4. agens
de Sacramentis in particulari frequenter sus-
pendi in moralibus iudiciis directum, ap-
pellans unice ad reflexum.

Demum idem Matritius in sua Theologia N. 124
Morali, ubi omnia per modum dubij pro-
 ponit, sæpissime suspendit iudicium alicuius
 etum, contentus solo reflexo; & quidem non

non agit de rebus speculativis, sed de practicis, seu de honestate, aut non honestate operis: ita *disp. 1. de Consc. n. 26.* Iuspenso iudicio directo ait: Probabilius est hominem invincibiliter putantem utramque partem contradictionis esse peccatum, non peccatum, quamcumque eligat: & *n. 39.* nihil dicere dicit, sed unice dicit Scotum hoc, & illud sentire, & hoc ipsum satis putat ut quis ponat, aut omittat tale opus: Simili modo loquendi utitur *n. 47.* vel dicendo, conveniunt communiter Doctores, & per hoc supponit licitum opus; vel dicendo, ut ait *disp. 2. de Legib. n. 14.* Communis sententia T. T. & Juristarum est, quod de essentia legis ut distincta à præcepto sit perpetua, per hunc enim modum loquendi supponit satis exprimi licentiam operis. Similiter *l. c. n. 18.* per hoc, quod dicat, Communis sententia tenet, quod promulgatio sit tantum conditio, idem est, ac si diceret, Promulgatio est tantum conditio: & *n. 65.* per hoc, quod dicat, Secunda sententia asserit, quod lex Evangelica cœperit die Pentecostes, quia eo die promulgata fuit, & occurrat rationibus probantibus eam inceptisse die mortis Christi D. idem est ac si diceret, Incepit die Pentecostes: & *n. 96.* ait, satis probabile est, quod lex humana non tantum præcipiat actus internos, qui solum necessarij sunt, ut principia, quoad esse materiale externorum, sed etiam quoad esse morale virtutis, & vitij: & *n. 3.* ait: Communis sententia est, quod Legislator non teneatur suis legibus quoad vim coactivam; quia à nullo cogi potest, ut eas observet, aut ut non observando penas subeat; sed tantum quoad directivam, seu ex æquitate legis naturalis. Idem ait *n. 113.* de legibus Ecclesiasticis respectu Civilium: & *n. 119.* ait: Probabilior sententia tuctur peregrinos, & advenas teneri legibus loci, per quem transeunt; subdens, quod Caspenis oppositam putet, æquè probabilem: & *n. 187.* ait: Recepta sententia est dispensationem esse validam, licet dispensans peccet: & *n. 210.* Communior, & probabilior est, quod lex non cesset per hoc, quod negativè cesset in casu particulari finis legis: & *disp. 3. de Just. n. 25.* ait: Communis ferè omnibus R. R. sententia est, Beneficiarios fieri absolute dominos omnium proventuum suorum beneficiorum: & *n. 30.* Probabilior affirmat, quemlibet esse dominum suæ famæ: & *n. 60.* ait: Dicunt communiter DD. si bellum sit iustum, bona hostium immobilia esse Principis; mobilia in actuali conflictu acquisita esse capientium, nisi sint bona Ecclesiarum: & *disp. 4. de contra-*

ctibus: Alij probabilius putant promissionem ex se obligare in conscientia sub mortali, nisi res promissa sit levis: & *disp. 6. n. 26.* Mihi magis placet opinio negans licere iudici dicere jus in eum, quem certo scit innocentem: & *n. 40.* ait: Utraque opinio est probabilis; & licet prima à C. de Lugo supponatur communior, & probabilior, secunda tamen non caret probabilitate: & *n. 46.* relatâ sententiâ negante obligationem universalem in Reo iudicè interrogato ut contra se fateatur verum crimen imminente sibi morte, aut simili penâ, aut eam esse Scottistarum, immò subdit, quod Cardinal. de Lugo *disp. 40. sect. 1.* dicat, quod stando rationi sit longè probabilior oppositâ. Omitto alia adeo obvia, ut ultro occurrant Lectori, à quo peto, ut dicat, an scandalosum sit resolvere dubia speculativa, aut moralia per solam probabilitatem veritatis, maiorem, æqualem, aut minorem, omisso prorsus omni iudicio directo subjective probabilis, aut probabiliori de veritate. Sanè habebit, quod respondeat, si perpendat prudentiam Theologorum, quos deducimus à principio: Decimustertius est Torrecilla satis Hic. N. panis notus in suis Lucubrationibus, qui sapientissimè ad objectivam solam probabilitatem confugit, ut colligere est, vel ex solâ damnatarum ab Alex. VII. & Innoc. XI. expositione. Ita ibid. *rr. 1. de Matrim. consult. 1. n. 30.* ait: Probabilior sententia iudicat non requiri &c. & *n. 95.* ait: Probabile est, quod in 1. ex damnatis ab Innocentio non comprehendantur opiniones, quæ sunt in favorem poenitentis, ut iudicat Hozes in 1. damnatam: & *n. 105.* plures refert probabiles oppositas, earumque utrum admittit minus objectivæ probabilitati earum: & *n. 127.* ait ex Lumbier probabile esse, quod exactiores non teneantur ad restitutionem: & *rr. 2. de Pœnit. consult. 1. n. 13.* ait: Nulla est opinio magis communis, & recepta, quàm quæ docet Confessarium posse licitè absolvere cum jurisdictione probabilis, immò minus probabilis, & minus tutâ: & ibid. *consult. 3. n. 8.* ait: Probabilissima est sententia, quod Ecclesiastici sæculares à solâ lege Ecclesiastica, non autem à voto Ordinibus annexo, in sacris constituti, ad castitatem obligentur: & *n. 10.* ait: Adde probabile esse, quod non sit &c. & ibid. *consult. 4. n. 14.* Reputo probabilem sententiam &c. & *n. 39.* Valde probabile est, quod per virtutem Bullæ &c. & ibid. *consult. 5. n. 137.* ait: Tertia sententia non tantum est probabilis, quin est evidenter probabilis etiam practicè. Abstinco à reliquis, quæ habet tum Tomo de exami-

examine jurisdictionis Episcopalis, tum in Summā, tum alibi.

N. 126. Decimusquartus est Franciscus de Ruvere totius Seraphici Ordinis Commissarius Ruvere. Generalis, postea Cardinalis, demum Summus Pontifex, qui in celebri Thomista inter & Scotistas controversiā, an in triduo mortis Christi D. Sanguis fuerit unitus Verbo; dictus de Ruvere relatus à Cardin. de Lugo *disp. 14. sect. 1.* dixit: Tertia veritas est ista, etsi à Christi sanguine, quamdiu fuit ejus corpori unitus, Deitas separata non fuerit; ab eo tamen effuso, Divinitatem fuisse separatam probabiliter confitemur. Ecce per probabilitatem resolvit; idem enim est probabiliter confitemur, ac probabile nobis est, quod sanguis effusus fuerit à Divinitate separatus. Scio Maftrium tueri oppositum in 3. *disp. 1. n. 200.* dicens, eundem de Ruvere, non nisi ut probabilem suam opinionem exposuisse, à quā plerique Scotista discedunt: ergo ad rem nostram sola obiectiva probabilitas sufficit ad dubij solutionem.

N. 127. Decimusquintus est Didacus Corella Animarum zelo, & doctrinā clarus, qui in libro, cui titulus est, Praxis confessionis, & explicatio damnatarum, editione duodecimā, pleraque resolvit per solam probabilitatem; ita 1. p. Dialogi inter Confessarium, & poenitentem in *exordio n. 3.* ait: Respondeo poenitenti, opinionem communem contra communem esse, quod poenitens possit tacere peccatum cum complice, si Confessor sciturus sit complicem: & *tr. 1. cap. 1. n. 10.* relata una opinione dicit: Hoc non obstante, opposita est probabilior, tuta, & communis: & *n. 12. ad 16.* per solam probabilitatem opinionis tuentis Regulares posse à casibus occultis in Bulla Cœnæ reservatis absolvi, dubium resolvit, & citat Cursum Moralem PP. Carmel. *discalc. tr. 18. de Privileg. cap. 4. pun. 2. §. 11. n. 128.* ubi legitur, posse Regulares Confessarios absolvere faculares ab omni casu, & censurā, quæ in Bulla Cœnæ continetur, hæresi exceptā, si dicti casus occulti sint: & subdit, quod eadem opinio judicetur probabilis, immo probabilior à Torrecilla, à Prado, & alijs. Ecce Corella & omnes citati resolvunt dubium per probabilitatem: & *tr. 2. cap. 1. n. 25.* ait: Hoc non obstante, probabilior est, quod effectu secuto teneatur promissum ob turpem causam solvere: & *n. 43.* ait: Probabile puto non teneri ingredi aliam Religionem: & *tr. 4. cap. 2. n. 19.* neutram probabilem opinionem refutat, referens utriusque probabilitatem, tam opinionis negantis lici-

tum patri negare dotem filiae, quæ indignè nuplit, quā affirmantis: & *tr. 5. n. 3.* judicat cum Basilio, & Leandro à SS. Sacram. probabiliter imprecatur, non distinguatur specie morali, adeoque satis sit in confessione dicere, se malum grave desiderasse: & *n. 35.* ait: Probabile est, quod procurans abortum non incurrat ante sententiam decilvam judicis poenas à jure Canonico determinatas: & *tr. 6. n. 63.* relata ut probabili opinione Scoti, & P. Sanch. *lib. 7. de Matrim. disp. 25. n. 2.* quod votum solemne non differat specie à simplici voto castitatis, subdit: Tutor est opposita, quod explicanda sint in confessione peccata; immo ait ibidem utramque opinionem esse probabilem: & *tr. 7. n. 46.* ait: Licet inter DD. commune sit, quod cooperans furto rei divisibilis, etsi non faciat causā efficacem, peccet mortaliter concurrente, & quod quilibet teneatur in solidum, probabile tamen etiam est quod, si non fiat causā efficacem, non peccet mortaliter, si materia sui furti sit levis: & relatis DD. ait, quod P. Lessius *lib. 2. de Just. cap. 13. dub. 1. n. 8.* putet hoc esse probabile; & *ibid. n. 55.* ait: Hoc non obstante, oppositam judicat valde probabilem Villalobos *para. 2. tr. 11. diffie. 7. n. 6.* & *ibid. n. 98.* refert ex Soto *lib. 4. de Just. qu. 7. art. 2. §. Dubium an tem est:* Crediderim namque in foro conscientie levem culpam commodatarij non obligare eum ad restitutionem, nisi sit mortalis apud Deum; cujus Soti opinionem probabilem putat P. Lessius *lib. 2. de Just. dub. 8. n. 43.* & Corella de eadem ait: Non mihi videtur improbabilis.

At cur paginas fatigo, cum manibus omnium terantur Scotistarum doctrinā, & virtutibus celebres? Legatur Marchantius Generalis Commissarius Minorum in suo Tribu-nali, Heritex in quadruplici suæ Theologiae Tomo, Pontius in Cursu Theologico, & in Cōmentarijs ad Scotum, Bruno Neul. in suā absolutissimā Theologo-Morali Canonica Polyanthea, vir eximie doctus, eruditus, & prudens, qui quasi semper suspendit judicium directum, & ad solum rectorum appellat, dicens: *Velut certum: velut probabilis: velut probabile:* Felix Porcellatus, tum in Examine Confessariorum, tum in Examine Ordinandorum, vir clarus, & expeditus, ex quo duo tantum loca recito. Primus est ex *tom. 3. in Exam. Ordin. n. 323.* ubi relata duplici sententiā, unā negante licitū esse celebrare sine lumine in altari posito, distincto a lampadibus extra altare accensis, quam tuetur Card. Bellar. P. Bulcemb. Card. P. Tam-

p. Tab. P. Tambur. in Methodo Missæ lib. 1. cap. 1. altera tueri licere in casu necessitatis, ex gr. dandi Viaticum, Felix resolvit modaliter dicendo: Puto probabilius licere. Alter locus l.c. à n. 350. ubi quoque relata sententia, una Divi Thomæ tueri, quod Sacerdos, five ante, five post sumptionem, advertens non esse vinum, sed acetum quod obtulit, & sumpsit, tenetur non tantum vinum, sed novam Hostiam consecrare; altera Scoti in 4. dist. 8. part. 3. litt. H. negantis consecrandam novam Hostiam, sed satis si vinum consecratur, ait Felix, utrumque modum esse aptum: Divi Thomæ, si in loco privato; Scoti, si in publico celebretur. Prætereo alios Scotistas ubique notos, nempe Bosco, Brancat. Cottonium &c. quibus enim citati à me Scotista non sunt, nec citandi, satis erunt.

SECTIO IV.

Doctores Societatis Jesu quid senserint.

§. I.

Aliqui.

SUMMARIUM.

P. Molina solvit per probabilioritatem, n. 129.
P. Vasquez utitur judicio reflexo, n. 130.
P. Azor, n. 131.
P. Valent. iudicem ad probabilioritatem obligat, & satis ei iudicium de probabilioritate, n. 132.
In illis, in quibus tenemur ad probabilioritatem, satis, & necesse iudicium de probabilioritate; in illis vero, in quibus licet probabilis, satis de probabilioritate, ibid.
P. Valentia utitur judicio reflexo, n. 133.
P. Sanch. solo iudicio reflexo de probabilioritate resolvit, n. 134.
Obligat subditum obedire etiam stante proprio iudicio, ibid.
Advertentia ex P. Sanch. pro Authorum intelligentia, n. 135.
Ultima opinio, si non reprobetur, censetur approbari, ibid.
Card. Bellarm. utitur iudicio reflexo, n. 136.
Card. de Lugo, n. 137.
P. Lessius, n. 138.
P. Koning, n. 139.
P. Granado, n. 140.
P. Fillucius, n. 141.
P. Arriaga, n. 142.
P. Dicafillo, n. 143.
P. Amicus, n. 144.
P. Castro Palao, n. 145.
DD. tuentes, quod iudicium probabile de iurisdictione fundet licentiam absolvendi, ibid.
Tom. III.

P. Platelinus plerumque resolvit per probabilioritatem, n. 146. 147.
DD. tuentes contritionem mereri primum, gradum gloria, non gratia, ibid.
DD. tuentes fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis esse nunc necessariam necessitate medij, n. 148.
DD. negantes esse eo modo necessariam, nisi in re, vel in voto, ibid.
Probabilitas opinionum liberat Cōfessarios magnam molestiam, ait P. Molina, ibid.
P. Moya sola probabilitate objectiva contentus, n. 150.
Ait, quod si satis est iudicium subjective probabile, etiam satis objective probabile, ibid.
Idem dico de alijs Societ. Doctoribus, n. 151.

Pater Molina 1. p. qu. 54. membr. 4. & 5. N. apud Mastr. in 2. disp. 2. n. 119. et si sequatur opinionem Thomistarum tuentium in Angelis intellectum agentem, & passibilem non dari, putat tamen opinionem Scoti affirmantis esse probabilioritatem: & rom. 3. de Just. tr. 3. disp. 56. relata opinione Soti tuentis, licitum occidere furem pro re magni valoris, et si exigua sit spes eam recuperandi, ait: Neque id auferem condemnare, modo prius voce admoneretur, nisi non relinquit, esse interficiendum; immo semper consulendum, ne proximus eo eventu interficiatur. Ecce P. Molina non audeat directe asserere, quod M. Soto asserit; sed dicit, non auferem condemnare, positus tamen circumstantijs à se additis; quod est suspendere iudicium directum de veritate licentiae. Hoc eodem reflexo solo iudicio probabilitatis licentiae saepe utitur in alijs Tomis de Just. & Jure.

P. Vasquez Opusc. de Restit. cap. 2. §. 1. N. dub. 7. n. 28. ait: Mihi videtur certum contra Sylvestrum, quod non liceat, et si animatus non sit: ecce suspendit iudicium directum, accedens ad hoc solum reflexum, mihi est certum, quod non liceat; hoc autem non est formaliter idem, ac dicere, mihi est certo illicitum, et si æquivalenter idem sit: & ibid. cap. 9. §. 1. dub. 5. n. 68. ait: Mihi placet opinio dicentium, quod qui notabilem furripit quantitatem, et si sine ejus intentione, peccet mortaliter eo actu, quo notabile damnum intulit. Ecce affirmat sibi placere, quod est iudicium reflexum: & de Beneficijs cap. 2. §. 3. dub. 8. n. 78. ait: Mihi videtur, quod sit mortale in omnibus beneficijs prætermittere digniorem. Ecce dicit, mihi videtur, quod sit, quod est iudicium reflexum supra probabilitatem, aut certitudinem opinionis directe; non autem dicit, est mortale.

X

morta-

mortale. Plura alibi ex P. Valquez.

N. P. Azor *part. 1. lib. 10. cap. 12. qu. 6.* quærens, an mortaliter peccet, qui voluntariè distractus preces recitat, & an Ecclesiæ præcepto satisfaciât, ita ut non teneatur preces repetere, ait: Probabile multi putant, quod officium Divinum repetere non cogatur, sed mihi probabilius, & verius videtur oppositum. Ecce P. Azor, qui à pluribus auditur ut Probabiliorista, iudicium fert de probabilitate; tò enim *verius*, stricte loquendo, non est nisi verosimilius, nam veritas non suscipit magis, & minus, et si falsitas suscipiat eodem modo resolvendi utitur *part. 3. lib. 3. cap. 31.* ubi proposito dubio, an copula solius voluptatis gratiâ sit mortale, ait: Tertia opinio est esse veniale peccatum... & hæc est probabilior: & *part. 1. lib. 12. cap. 8. qu. 8.* ait: Communis sententia est extra calum summae necessitatis non licere accipere alienum. Per hoc autem, quod eam non impugnet, eam sequitur, inquit P. Pollenter in *65. damnatas Propositione 36. cap. 34. n. 1040.* saltem reflexè, dico ego, iudicans eam probabiliorē. Plura passim dabit P. Azor in suis exquisitis Institutionibus Moral.

N. P. Valentia *2. 2. disp. 5. qu. 7. pun. 4.* hæc ferè habet: Dico 2. Si Iudex ita putet alteram opinionem alterâ probabiliorē, ut simul (quod ferè semper accidit) probabiliorē existimet esse veram, & minus probabilem falsam, semper ferre debet iudicium juxta eam opinionem, quam putat probabiliorē, & veram. Pergit: Dico 3. Etiam debet Iudex judicare juxta opinionem apud se probabiliorē, quamvis fortè necdum habeat assensum determinatum de veritate ejus opinionis, sed hæreret anceps circa rei veritatem. Ecce 1. non omnia, quæ judicamus probabiliora, judicamus vera. Ecce 2. mens nostra: Si enim Iudex tenetur judicare juxta sibi objectivè probabiliorē, etiam suspensò iudicio directo de veritate; multò magis in alijs rebus, si non tenemur, licitum saltem erit sequi solum iudicium de objectivâ probabilitate. Immo, ecce quod supra diximus, & iterum infra dicemus: Sicut Iudex tenetur ad sibi subjectivè probabiliorē, nec potest sequi minùs sibi probabilem subjectivè; ita si suspendat iudicium directum, tenebitur ad maiorem objectivam probabilitatem; nec poterit sequi opinionem sibi objectivè minùs probabilem: etenim in omnibus, in quibus inter opiniones subjectivè probabiles non licet sequi minùs probabilem subjectivè, in illis quoque licitum non erit sequi minùs probabilem objectivè, sed sequi tenebimur objectivè probabiliorē.

rem: in omnibus autem, in quibus licet inter subjective probabiles sequi aequè, vel minùs probabilem, in illis quoque licitum erit sequi opinionem aequè, aut minùs objectivè probabilem: in quibus autem hoc, aut illud liceat, vel non liceat, satis diximus non licere, ubi non datur; non datur autem ubi agitur de naturâ, aut valore rei, ut est in se; in his enim nihil valet iudicium, ut rei naturam mutet, ut est in materiâ Sacramentorum, medicinarum &c. ubi autem agitur de honestate actus, quia iudicium intervit honestati, licet.

Præterea idem P. Valentia *disp. 3. de Ch. N. rit. qu. 9. pun. 4.* ait, esse sibi longè verisimiliam, seu probabilissimam sententiam, quod divites teneantur sub mortali in ordinarijs necessitatibus dare elemosynam ex superfluis naturæ, & statui: & *disp. 1. de Fide qu. 4. pun. 5.* quærens quo tempore præceptum affirmativum fidei interioris obliget, ait: De hac quæstione nihil video trahi a DD. hoc loco. Videtur autem dici posse, quod tale præceptum &c. Ecce in re incerta qualis moderatio; non dicit, assero, aut dico, quod esset iudicium directum; sed ait, videtur posse dici, quod est reflexum supra objectum motivum probabile, aut probabilius iudicij directi.

P. Sanch. quem tota Theologia veneratur, ejusque doctrinam, eruditionem, & 124 prudentiam commendat, sapissimè resolvit P. Sanch. dubia circa præcepta Decalogi, & circa matrimonium, aliaque plura per totam probabilitatem, sive minorem, sive æqualem, sive summam, omisso iudicio directo. Immo memini me alibi ex P. Sanch. & P. Dicastil. 2. notasse, quod ipsam sententiam, quam impugnant, vocent aliquando probabilissimam. Igitur *tom. 1. Opusc. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 26. n. 7.* loquens de opinione tuente non esse simoniam dare alteri, ut apud Colatorem Beneficij intercedat, ait: Licet hoc probabile sit, probabilius est oppositum: & *lib. 1. Consil. cap. 5. dub. 5. n. 37.* ait esse sibi probabilem opinionem tuentem divites teneri sub mortali de superfluis suo statui largiri elemosynas communi necessitate laborantibus: & *tom. 1. lib. 6. Sum. cap. 3. n. 6.* hæc habet: Dicendum, quamvis subditus probabiliter judicet esse malum, quod Superior præcipit, teneri ipsum obedire. Ecce sine iudicio directo subjective probabilitate directo subjective probabili de inhonestate rei præceptæ, obligat subditum ad obediendum: quatenus formare potest iudicium certum de probabilitate honestatis rei.

à Superiore præcepto: ergo ex P. Sanchi non tantum licet operari sub solo iudicio reflexo de certâ probabilitate honestatis, diviso ab omni directo subjective probabili de inhonestate, quin licet sub iudicio reflexo de certâ probabilitate honestatis, unito iudicio directo subjective probabili, immo probabili de inhonestate: & lib. 2. Sum. cap. 1. n. 2. agens de tempore, quo præceptum fidei obgat, loquitur reflexè dicens: Verior, seu verosimilior est sententia docens varia esse tempora, quibus illud obligat. Demum totus P. Sanch. plerumque nititur soli iudicio de objectivâ probabilitate.

N. Notat autem idem P. Sanch. lib. 4. Sum. cap. 5. n. 4. & lib. 5. cap. 4. n. 30. rem pro intelligentia Authorum attentione dignam, nempe, quòd hoc ipso, quòd Doctores ultimo loco referunt aliquam opinionem, si non improbat, signum est, quòd eam teneant: & lib. 4. cap. 36. n. 4. quod qui refert aliquos tenere aliquid licere, & non licere, & non improbat, videtur approbare: ergo (infero ego) omnes, qui oppositam opinionem vocant probabilem, si non impugnant probabilitatem, sed veritatem, relinquunt eam in suâ probabilitate. Idem indicavit

Bordonus in Propugnaculo n. 85: quod Doctor referens opiniones, & non se declarans, præsumitur tenere ultimo loco registratam; & citat Everardum in loco ab authoritate n. 15. Hoc autem passim præstant Scholastici tractantes principia moralia, qui in suis Collatorijs, aut illustrationibus, ut cernere est in M. Martinez de Prado, M. Gonet, M. Paster, P. Muniel, de Euchar. sepe dicunt, quid alij sentiant, & non impugnant; ergo illud sustinent saltem ut probabile. Vide quæ dixi n. 131. ex P. Pollenter.

N. Card. Bellarminus sanctitate, doctrinâ, & purpurâ celebratissimus, lib. 3. de Bonis Operibus ait, se arbitrari tutiorem, & veriorum, seu verosimiliorem sententiam, quæ docet opes superfluas sine culpa mortali retineri non posse. Ecce iudicium reflexum de probabilitate.

N. Card. de Lugo utriusque Theologiæ Scholastica, & Moralis laurea insignis, crebro ad solum iudicium reflexum recurrit; ita disp. 12. de Fide scilicet, 5. quærens an fides Dei Remuneratoris sit necessaria necessitate mediæ, ait: Affirmant communiter Theologi. Ecce iudicium reflexum supra directum aliorum, suspensio directæ proprio. Et disp. 13. de Fide n. 7. ait: Dubitan non potest, seu certum est, actum fidei esse sub obligatione. Ecce reflexa supra certitudinem præcepti actus fidei: & disp. 10. de Just. n. 130.

Tom. III.

& 131. loquens de opinione tuente licitum procurare abortum foetus inanimati; ait: Melius negatur id umquam licere. Non dicit, nego aliquando licere, sed melius negatur, quod est iudicium reflexum. Et disp. 16. de Just. n. 37. ait: Conveniunt ferè omnes, quòd eth ab initio non habuerit animum furandi rem notabilem; &c. Ecce per hoc solum iudicium reflexum de ferè omnium sententiâ infert non licere tenere quantitatem; adeo ut ad hoc ut teneat aliquid vitare, satis sit iudicare reflexè, quòd ferè omnes teneant illud non licere. Hac loca malui ex Card. de Lugo tradere potius, quàm alia, ubi sæpe ad solum iudicium de probabilitate appellat; quatenus constet non tantum licere operari sub solo iudicio de probabilitate licentiæ; aut non licere operari sub solo iudicio de probabilitate non licentiæ, sed etiam sub alijs iudicijs reflexis de hoc, quòd sententia sit communis, & similibus.

P. Lessius sæpe ad manum habet probabilitatem; nam lib. 2. de Just. cap. 42. dub. 8. n. 4. ait: Si quod juratur sine animo jurandi, est verum; probabile est non esse mortale: familia habet l. c. cap. 29. n. 68.

P. Koning. insignis ejusdem P. Lessij N. discipulus, tractans de Sacramento Baptismi qu. 66. dub. 1. art. 4. loquens de aqua ex sale resolutâ ait: Non videtur probabile ejusmodi aquam esse ejusdem speciei cum aquâ naturali; & consequenter non videtur probabile; quòd esse possit materia Baptismi. Ecce iudicium reflexum de non probabilitate satis est, ne operemur, etsi non adsit iudicium directum de falsitate: ergo iudicium reflexum de probabilitate satis erit, ut operemur, etsi non adsit iudicium directum de veritate. Si ergo omne, quod non est probabile licere, est illicitum, & illud exequens, si ponat, peccabit; ita omne, quod est certò probabile licere, erit licitum, & illud ponens non peccabit: & 1. 2. disp. 24. dub. 3. n. 57. ait: Videtur omnino peccare mortaliter, si Dei amorem ad tres, aut quatuor annos differat. Ecce iudicium reflexum supra motivum moraliter certum opinionis directæ tuentis esse mortale eam dilationem. Et disp. 24. de Charit. dub. 3. n. 50. ait: Valdè probabile est tunc nos per se incipere obligari, ut eliciamus actum charitatis &c. Ecce probabilitas objectiva. Et disp. 7. de Confessione. dub. 9. n. 91. ait: Puto non esse probabile, quòd liceat dimidiare confessionem ob rationem magni concursus.

P. Granado contra 1. de Fide disp. 2. scilicet. N. 1. ait: Placet mihi communior sententia, 140. nempe, quòd fides Dei etiam ut Remune-

X ij ratoris

ratoris sit necessaria necessitate medij. Ecce in re prorsus certā suspendit iudicium directum, & appellat ad reflexum de sententia communioritate. Et *tr. 14. de Charit. ait*: Certum est latum fuisse a Deo, & naturā præceptum diligendi proximum. Ecce idem est, ac si diceret, *Latum est*, sine ullo iudicio reflexo circa certitudinem præcepti. Sic ut autem nemo negaturus est, quod sine hoc assensu directo, latum est, cum hoc solo reflexo, certum est, quod latum sit, potero, & tenebor licite operari; ita à pari potero saltem licite operari cum hoc solo reflexo, probabile est, quod liceat, suspensio hoc directo, licet.

N. P. Filiucius *tom. 2. tr. 28. cap. 7. tres refert de contritione fraternā sententias, unam* 141. P. Filiucius. M. Soti, alteram Caietani, tertiam M. Bannez, & subdit: Hęc tertia videtur valde probabilis, & ceteris præferenda: & *tr. 25. cap. 12. n. 360. ait*: Probabilis est esse mortale jurare exterius sine intentione jurandi: & 361. si iuramentum injuste exigatur, etsi probabile sit committi peccatum mortale, si fiat sine intentione jurandi... probabilis tamen est, quod non sit mortale. Ecce per solam probabilitatem dirimit dubia directa.

N. P. Arriaga *disp. 21. de Fide n. 17. ait*: Probabilissima est regula, quod interrogatus à publica auctoritate teneatur fidem fateri. Ecce per summam regulæ probabilitatem decidit gravem fatenda fidei obligationem. Similia passim habet.

N. P. Dicastillo *tr. 10. de Matrim. disp. 10. dub. 2. n. 14. loquendo de opere conjugij solius voluptatis causa ait*: Nihilominus probabilis est non carere culpa: & *disp. 3. de Juram. dub. 11. ait*: Probabilior est sententia, quæ asserit esse mortale quando fictē in iudicio, vel in contractu juratur, etsi cum veritate: & *lib. 2. de Just. & Jure tr. 2. disp. 12. pun. 4. dub. 2. a n. 410. loquens de sententia P. Molinæ, & P. Lessij dicentium non esse in praxi admittendam opinionem tuentem, viro nobili licere in incontinenti percutere, ait*: Hęc sententia de non licitā repercussione practicē mihi magis placet. Ecce hæc omnia sunt iudicia reflexa. Omitto alia ejus loca, ubique enim recurrit ad objectivam probabilitatem.

N. P. Amicus, quem sua scripta satis commendant, dirimit quæstionem directam de tempore, quo præceptum charitatis obligat, per summam probabilitatem; & quæstionem de obligatione dandi eleemosynas, & de licitā, aut illicitā fortis inanimis abortione solvit per probabilitatem; quod idem alibi præstat: ita *disp. 27. de Charit. sect. 3. a n.*

36. postquam asseruit præceptum amandi Deum super omnia obligare initio, & fine vitæ, ait probabilissimum etiam esse obligare alijs temporibus prudentis arbitrio. Ecce per iudicium reflexum de summā probabilitate legis obligantis ad actus amoris facit, ut omisso sit verita; & est idem, ac si diceret, obligat alijs temporibus: & *disp. 31. de Charit. sect. 4. n. 55. relatā opinione tuente divites teneri sub mortali de superfluo suo statui eleemosynas facere communi necessitate subiectis, ait*: Dicendum longe probabiliorem esse hanc sententiam: & *disp. 36. de Just. sect. 8. n. 92. de opinione negante licitum procurare abortum foetus inanimis, ait*, quod sit probabilior.

P. Castro Palao de re morali eximē mō. N. ritus, ut in incertis prudentius incedat, 145. currit crebrō ad solam probabilitatem, vel probabilitatem; ita *tom. 1. tr. 1. disp. 2. n. 9. ait*: Quando adest opinio probabilis de potestate absolvendi à relictis... nulli morali periculo se exponit Minister irritum efficiendi Sacramentum; & post citatum à se P. Suar. P. Lessium, Bonac. Ponze de Leon, P. Filiucium, P. Henricq. & alios, subdit: Omnes isti affirmant operantem ex opinione probabilis de jurisdictione illam habere certissimam. Ecce nubes DD. qui licentiam absolvendi fundant in solo iudicio certo de probabilitate jurisdictionis: & *tom. 3. disp. 1. pun. 8. §. 4. ait*: Si iuras verum sine animo jurandi, probabile est esse solum veniale extra iudicium; esse mortale in iudicio, & contractibus. Plura similia oculis ipsis se ultionē offerunt.

P. Jacobus Platelius in sua verē selectā N. Synopsi Theologicā, quō res sunt incertiores, eo sapius ad solam objectivam probabilitatem recurrit, tam in speculativis, quam in moralibus; ita *tom. 1. cap. 3. de Voluntate Dei n. 4. ait*: Longē probabilis est, si non certum, hoc repugnare Divinæ voluntatis immutabilitati: & *n. 174. ait*: Probabilis est omnes nostros actus bonos esse formaliter præfinitos: & *n. 193. ait*, Deum probabiliter parentibus, sive immediatis, sive mediatis, eas dare inspirationes ad parvulorum salutem ordinatas, ut si illis responderent, infantes non morerentur sine Baptismo: & *n. 205. loquens de formali, & efficaci electione ad gloriam ait*, duas esse celebres sententias valde probabiles, ut non facile decideri possit, utra sit verior: & *num. 206. ait*: Verius videtur electionem formalem ad gloriam esse post prævisa merita: & *cap. 6. de Angelis n. 316. ait*, probabile esse, quod aliqui Angeli solo numero differant; & probabile

babile etiam esse; quod qui sunt diversae Hierarchiae, specie differant: & n. 325. ait, longè probabilius esse, si non certum, quod Daemon non possit &c.

N. Et tom. 2. cap. 1. n. 4. ait: Videtur nobis probabilius cum Divo Bonav. Richardo, & alijs essentiam beatitudinis formalis consistere in utroque actu: & n. 12. probabilius esse, quod visio cum nullo veniali etiam habituali stare possit: & n. 70. quod P. Suar. ex communissimo Philosophorum, & T. T. sensu asserat, voluntatem posse eligere ex medijs equalibus alterutrum, & ex inaequalibus minus bonum: & n. 76. esse valdè probabile oppositum propriae opinioni: & n. 97. probabilius esse actum imperatum non habere propriam libertatem: & n. 100. ait: Dixi probabilius, quia oppositum est valdè probabile: & n. 105. verius esse actum entitativè supernaturalem non posse esse intrinsecè malum, ne quidem venialiter: & n. 112. ait: Patendum est sententiam affirmantem, intellectum saltem de ijs actionibus, in quibus praecise intenditur moderata naturae commoditas, esse valdè probabilem, & in praxi consulendam; probabilem ob Scoti, & aliorum auctoritatem &c. & n. 114. probabilius esse, quod idem physicè actus internus aliquamdiu durans possit de bono fieri malus: & n. 150. & 151. probabilius esse licitum sequi tum probabiliorem minus tutam, tum minus probabilem minus tutam, quoties agitur de actionis licentia: & n. 244. probabile esse, quod docent Navarrus, & alij contra Scotum, licitum esse, tecluso affectu libidinoso, & consensus periculo, &c. & n. 361. videtur probabilius S. Thomam non docuisse Deiparam culpam originali infectam: & n. 364. fatendum tamen probabilem esse sententiam, quae docet D. Thomam sensisse Deiparam in culpam conceptam: & n. 367. probabilius esse parvulos in originali decedentes non puniri poenâ aeternâ ignis: & n. 420. probabilius esse leges Pontificias, quae de loco promulgationis nihil exprimunt, non requirere promulgationem in Provincijs, ut in ijs obligent: & num. 422. probabilius esse leges Pontificias obligare statim à promulgatione sufficienti: & n. 436. probabile esse, quod Ecclesia possit indirectè praecipere actus internos, qui necessarii sunt, ut externi constituentur in specie entis moralis; & n. 441. ait, posse legislatorum in materia gravi obligare sub veniali tantum. Ita cum S. Thom. 2. 2. qu. 105. Doctores communijs: & tamen n. 445. ait: Oppositum, ut est communijs, ita & probabilius videtur, nempe quod legislator, inva-

Tom. III.

riatâ eadem materiâ, non possit modò sub levi, modò sub gravi obligare: & n. 466. probabilius esse peregrinos teneri omnibus legibus loci, in quo versantur, etiam si trans-eunter: & n. 530. probabile esse, quod docet Ripalda disp. 20. & 114. de ente sect. 13. amorem naturalem Dei numquam separari à supernaturali simul elicito, quia gratia semper adest: & n. 665. quaerens, an contritio mereatur primum gradum gloriae, etsi non primum gratiae, affirmat cum P. Suar. Caietano, Soto, Medina, & alijs communijs, contra Gregor. Gabriel, Lugo, Ripalda, & alios valdè probabiliter dissentientes: & n. 677. ait, probabile esse Deum ex sua clementia malis operibus reddere poenam infra condignum. Hoc tamen non est ita certum, cum Scriptura, & PP. non nisi obsecrè hoc significant, & Augustinus in Psalm. 76. istam sententiam solum toleret, non probet.

Et tom. 3. n. 67. ait, quod Durandus, N. Alensis, & alij non improbabiler sentiant, actum fidei stare posse cum visione: & num. 103. longè probabilius Haereticos occultos non esse de Ecclesiâ; manifestos autem esse certum non esse: & n. 217. verius videri, quod docent P. Molina, Ripalda, de Lugo, & alij, nos semper elicere actus supernaturales cum operamur ex motivo supernaturali: & n. 227. Licet probabile sit fidem explicatam Incarnationis, & Trinitatis necessariam nunc esse necessitate medij in re, ut docent Valentia, Sanch. Granad. Amicus, & alij; probabilius tamen non esse necessariam necessitate medij, nisi vel in re, vel in voto, ut Medina, P. Suar. Ripalda, & alij: & n. 230. de sententiâ modò relata ait, quod suae sententiae probabilitas nihil juvet, si opposita sit vera, & ideo in praxi tenenda. Ecce obligat ad minus probabilem, tutiorem tamen, quia agitur de medio ad salutem necessario; si enim explicita fides eorum mysteriorum necessaria sit necessitate medij, qui eâ caret, non salvabitur, etsi probabilius putaret non esse necessariam: & n. 244. probabilius esse licere ex gravi causa uti veste Infidelibus propria, si hæc non sit signum per se institutum, & protestativum falsae religionis: & num. 295. ait, Infideles Principibus Christianis non subiectos, non posse vi compelli ad amplectendam Christi D. Religionem, ut S. Thom. & alij communijs, & probabilius contra Scotum, & suos: & n. 299. ait: Puto esse mortale nominare ex ira sanguinem, & mortem Christi D. etsi ira non feratur in Deum: & num. 449. probabilius per se obligare præceptum

X iij amoris

amoris Dei super omnia, cum quis primum incipit habere noticiam Dei, ut infinite amabilis: & n. 462. probabilius esse, quod non sit maioris meriti, ac perfectioris charitatis suas preces, satisfactiones, & sacra pro se facienda, etiam post mortem applicare vivis, aut defunctis, quam sibi: & n. 469. probabilius dari gravem obligationem faciendi elemosynam de superfluis etiam in comuni pauperum necessitate: & n. 471. Et si probabilius sit, spectata ratione, satisfieri præcepto elemosynæ per mutuum, oppositum tamen, spectata Scripturâ, est probabilius, & in praxi tenendum: & n. 566. probabile esse bonam fidem procedentem ex ignorantia juris sufficere ad prescriptionem etiam ordinariam fructuum: & n. 503. ait, valde probabile esse utramque sententiam oppositam, tam affirmantem, quam negantem, quod pupillus pubertati proximus, & minor habens curatorem obligentur naturaliter in contractu, subdens posse quem conformari sententiæ sibi magis faventi. Quod

P. Mol.

inquit P. Molina, magna molestia liberat

Confessarios, qui ob probabilitatem utrius-

que sententiæ, nec pupillum obligare de-

bent ad solutionem; nec cum eo contrahen-

tem ad restitutionem pretij à pupillo accepti,

priusquam Judicis, aut saltem Tutoris

autoritate fiat repetitio, nisi sint vel immo-

bilia, vel mobilia pretiosa.

N.

Et tom. 4. n. 39. & n. 77. ait, Verbum

non venturum, exclusio peccato Adæ, sub-

dens, quod S. Thom. ita sentiat contra Sco-

rum sententiam probabiliter oppositum: &

n. 126. probabilius esse, quod ait P. Perez

&c. & n. 139. seclusa autoritate, probabi-

liorem esse sententiam negantem PP. anti-

quos meruisse aliquas circumstantias Incar-

nationis; affirmantem tamen esse absolutè

præferendam: & n. 153. esse probabilius, &

menti PP. conformius, & absolutè tenen-

dum, Beatam Virginem sibi meruisse Dei

maternitatem; etsi oppositum, attentâ sal-

tem ratione naturali, sit probabile. Omitto

alia, quæ habet tum tom. 4. de Incarn. tum 5.

de Sacram. ubique enim, tam in dubijs spe-

culativis, quam in moralibus decidendis ad

solam probabilitatem maiorem, aut æqua-

lem, aut minorem appellat.

N.

P. Moya, cujus iudicium in re morali

150. egregiè laudatur, læpissime ad solum refle-

xum de objectivâ opinionis communitate,

probabilitate, aut probabilioritate iudicium

confugit. Nam tom. 2. tr. 2. disp. 1. qu. 4. n.

7. ait, probabile esse, quod dare, & recipere

pretium pro intercessione mediata, non sit

simonia: & ibid. tr. 3. disp. 1. qu. 5. n. 6. ait,

probabiliorem esse sententiam tuentem, quod præceptum confitendi mortalitatem Eucharistiam sit juris Divini à Christo D. latum: & ibid. tr. 1. qu. 7. n. 23. contra Philaleum expressè ait: Hoc fundamento probat Candidus sufficere iudicium probabile de veritate; at equè probat de iudicio certo de probabilitate. Nec video, cur iudicium probabile de veritate, quod falsum esse potest, ad hoc sufficiat; non verò iudicium certum de probabilitate, quidquid contra falsum reclamet.... licet iudicium de probabilitate opinionis, seu honestatis electionis objecti cum ejus inhonestate, aut cum opinionis falsitate compatibile sit, ideoque insistendo in illâ tantum, negari non possit periculum efficiendi rem materialiter malam, utamen &c. Hec P. Moya, qui non tantum asserit licere, sed probat contra Candidum, quod si iudicium subjective probabile de veritate satis est, ut licet operemur, multo magis satis erit iudicium certum de objectivâ opinionis, seu honestatis probabilitate: & ibid. tr. 2. disp. 2. qu. 3. n. 6. ad finem ait: Lubens assentior, est enim valde probabilis sententia, quod satis sit, ut audiat pariter, quam non audit: & ibid. tr. 3. disp. 3. qu. 3. n. 10. ait probabile esse, quod Confitearius absolvere possit puellam negantem tuculatem revelandi conceptum factum, etiam sine Baptismo periturus sit, si mortis periculum puellæ à consanguineis imminet, immo etiam infamia puellæ timeatur, nec enim talem obligationem habet puella. Supercedo à reliquis, ubique enim Doctor prudentissimus iudicium certum de probabilitate, ut quis licet operetur, in sui favorem vocat.

Prætereo reliquos ex Societate DD. præ-N. sto enim sunt P. Mendo in Statera, & in 151. Epitome, P. Hurt. de Mendoza, & P. Gaspar. P. Mendo. Hurt. & P. Ovied. in suis Theologiæ Tomis, necnon P. Rhodes in utroque suo, P. Fagundes in Præcepta Ecclesiæ, P. Frigolo P. Oca. in Republicâ Christianâ, P. Bardi in Bul. P. Fagundes in Tract. de Consc. P. Haunol. in P. Tomis de Justitiâ, P. Giballinus de Usuris, P. Simoniâ, & Scientiâ Canonicâ, & alij sine P. Haunol. numero, quorum citationes ad manus mihi P. Giballinus sunt. Hi enim omnes ut summâ cum moderatione in incertis procedant, solo iudicio reflexo de objectivâ probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis contenti sunt; si rem purè speculativam, si vero moralem decident: ergo modus operandi, & decidendi rei licentiam ex solo iudicio reflexo de objectivâ communitate, verosimilitudine, probabilitate, aut probabilioritate veritatis opinionis, est inter DD. usitatus;

mus; & quidem eò magis, quòd res ipsa est incertior; vel Theologi ipsi maturius, & ut dicam, Angelico more procedere volunt, fervando mentem suam ab omni errore materiali immunem.

§. II.

Mens trium ex Societate Probabilioristarum.

S U M M A R I U M.

P. Scildere ait, securitatem conscientie oriri à iudicio reflexo de licito probabilioris usu, non à directo subjectivè probabiliori, n. 152.

Ait satis iudicium de objectivà probabilioritate, n. 153.

Rectè concedit subditum, si suam iudicet probabiliorē, non teneri obedire; at hoc concedendum non est, n. 154.

Ait iudicium de probabilitate oppositæ opinionis satis esse, n. 155.

Et ideo Confessarium teneri dare absolutionem penitenti sequenti oppositam, ibid.

P. D. Thyrsus sepius ad solum reflexum de probabilitate iudicium accurrit, n. 156.

Oppositam sententiam propriam vocat probabilissimam, ibid.

Negat dari in Deo amorem strictum, & simul affirmat esse sibi probabilissimum, quòd detur, ibid.

Sententiam de Prædefinitionibus in Deo vocat probabilissimam, etsi neget eas dari, n. 157.

Contradictio, ibid.

Ait opinionem probabilem esse, quæ nititur fundamento gravi auctoritatis, & rationis, n. 158.

Sibi contradicit, ibid.

Ex iudicio certo de probabilitate infert licitum absolvere moribundum, ibid.

Ait, quòd etsi opinio asserens posse absolvi moribundum, qui nullum signum dedit, sit exigue probabilitatis, attamen hac exigua probabilitas satis est, ut licite absolvat sub conditione, ibid.

Vitatur iterum solo iudicio reflexo de probabilitate, n. 159.

Immo de probabilitate, ibid.

P. Muniesia soli iudicio de probabilitate nititur, n. 160. 161. 162.

Vitatur reflexo de non omnimodâ verosimilitudine, n. 162.

Plerumque suspendit iudicium directum, ibid. & n. 163.

Utramque contradictoriam vocat probabilem, & sepe laudat solutionem minus probabilem, eaque utitur, n. 164.

Immo sepe contentus est solo iudicio de non improbabilitate, ibid.

Oppositam propriam vocat probabilissimam, n. 165.

Contradictio, ibid.

Innumeris in locis utitur solo iudicio reflexo de maiori, imò equali, & minori objectivâ probabilitate, ibid. & n. 166. 167.

Affirmat, quòd utraque contradictoria possit simul esse certa, & evidenter probabilis, n. 167.

Redarguuntur Probabilioristæ, quòd solo sepe utantur iudicio reflexo in questionum solutione, n. 168.

Pater Scildere utriusque juris, & Theologiae laureâ insignis, quem Probabilioristæ suum faciunt, ait tr. 1. cap. 3. n. 9. assert. P. Scild.

2. Conscientia permittens probabilis, quæ habet adjunctam formidinem de peccato formali admittendo, sufficit ad hoc, ut eam sequens, & juxta eam operans non peccet formaliter, dummodo sit incommodum sequi tutiorem, & accedat iudicium reflexum certò sine formidine dictans, quòd liceat sine peccato formali sequi conscientiam probabilem; non sufficit tamen sine illo iudicio certo reflexo. Ecce tum quòd securitatem conscientiae statuatur, non in iudicio directo probabili, ut volunt alij Probabilioristæ, sed in reflexo admisso à Probabilistis Reflexivis: tum quòd tale iudicium reflexum, non de objectivâ probabilitate, aut probabilitate, (de quo tantum in præsentem est sermo) sed de licito usu opinionis probabilis putet prorsus necessarium, ut volunt Reflexivæ, à quibus tamen ego recessi: ergo, juxta P. Scild. securitas conscientie oritur potius à solo iudicio reflexo de licito usu opinionis probabilis.

Sed magis ad rem præsentem, in quâ mihi unice terminus est de iudicio reflexo supra 153. objectivam probabilitatem, hæc habet in P. Scild. terminis P. Scild. tr. 2. cap. 2. n. 14. pag. 70. ait enim: Assertio 2. Ut aliquid sit objectivè probabile, ex. gr. ut actus sit probabiliter honestus, seu validus, (non placet mihi confusio honestatis cum valore; nam probabilitas prodest quidem honestati actus, non autem valori actus, ut sæpe dixi) requiritur ut ab aliquo homine considerato ex rationibus gravibus post argumenta opposita considerata, & ut putat, soluta, iudicetur esse tale: aut saltem ut homo consideratus (N. B.) reflexè censcat posse se rectè iudicare, quòd tale objectum existat. Ecce in terminis ait, satis esse iudicium de objectivâ probabilitate non tantum ad honestatem, sed etiam ad valorem actus. Probat autem, quia esse probabile non est aliquid in objecto tenens se ex parte ipsius, sed denomi-

denominatio merè extrinseca ab opinione prudenti circa se versante. Nisi ergo constet, quod homo consideratus sic opinetur, aut saltem perpensis omnibus censcat se ita opinari posse, (ecce iterum in terminis nostra mens) objectum non est dicendum probabile. Subdit *n. 15.* quod probabile objectivè dividitur in probabile intrinsecè, & extrinsecè: Probabile intrinsecè est, quod nos expensis debite rationibus, & argumentis contrarijs judicamus existere: Probabile extrinsecè, quod nos, vel ob defectum rationum, aut considerationis illarum non judicamus existere; ab alio tamen homine considerato, omnibus debite expensis, opinativè judicamus existere.

N. At non approbo quod idem P. Scild. *tr. 154. 2. cap. 4. n. 54. & 55.* docet, nempe subditum probabiliter opinantem, quod Superior careat jurisdictione, non teneri obedire, etsi Superior sit in possessione sui officij; & citat P. Valqu. *1.2. disp. 162. cap. 6. in fine*, P. Palao *tr. 1. disp. 2. pun. 6. n. 8.* P. Lessium de Just. *cap. 41. n. 76.* contra P. Sanchez *lib. 6. Sum. cap. 3. n. 29.* & alios. Similiter idem P. Scild. *n. 55.* asserit, subditum opinantem, quod præceptum excedat auctoritatem Superioris, non teneri obedire; & plures citat. Non, inquam, hæc approbo, tum quia appellare potest ad judicium reflexum de certâ opinionis Superioris objectivâ probabilitate; tum quia si hæc doctrina est vera, vix Claustris Religiosis, immo omni Reipublicæ. Fateor tamen hoc directè sequi ex sententiâ P. Scild. & multo magis ex sententiâ eorum Probabilioristarum, qui negant satis esse judicium directum de objectivâ probabilitate, & volunt necessarium semper esse judicium directum subjectivè probabilius; quo concepto, non video, quomodo subditus obedire possit Superiori, cujus opinionem putat probabilius falsam, & suam probabilius veram; & ideo P. Scild. P. Scild. conformiter ad suam doctrinam de sequendâ probabiliori dixi *l.c. assert. 4. n. 57.* quod subditus probabiliter opinans actum imperatum esse peccaminosum, non possit obedire, licet Superior opinetur esse licitum; & ut possit, non tenetur. Totum autem hoc longè magis sequitur, si ad operandum necessarium semper est judicium directum, & non satis est reflexum de objectivâ probabilitate.

N. Sed iterum ad rem nostram idem P. Scild. *tr. 2. cap. 4. n. 69.* ait: Quod ut subditus in circumstantijs à se additis procedere possit ex licentiâ præsumpta, satis, quod probabiliter opinetur Superiorem, si rogaretur,

daturum esse licentiam. Ecce iterum satis est hoc judicium reflexum, judicio, quod superior rogatus daret licentiam, ad hoc ut licitè operer; ergo sicut hoc judicium reflexum de licentia, quam Superior rogatus daret, satis est, ut licitè operer, ita etiam satis erit reflexum de probabilitate: & *n. 2. cap. 7. n. 104. pag. 167.* ait, quod Confiliarius simpliciter rogatus, an actio aliqua sit licita, dicere non possit esse licitam, nisi sic opinetur. Teneatur tamen optanti ut sit licita indicare esse alios viros consideratos, & doctos, qui oppositum opinantur, nisi certo judicet sententiam eorum esse falsam: ergo judicium de probabilitate oppositæ opinionis satis est ad operandum: & *tr. 2. cap. 9. n. 118. pag. 180.* ait: Adde verosimilius esse, quod etiam absque dispensatione sit valida ordinatio Episcopalis per unum Episcopum absque duobus assistentibus facta. Ecce recurrit ad judicium de probabilitate opinionis affirmantis, validam esse ordinationem Episcopalem factam per unum Episcopum: & *l.c. num. 120.* asserit, quod quando Minister habet opinionem probabilem de aliâ re, quam de valore Sacramenti, ex. gr. de restitutione; & suscipiens habet opinionem probabilem oppositam, ex. gr. de non obligatione restituendi, possit Minister conferre illi Sacramentum. Ecce solum judicium reflexum de objectivâ probabilitate opinionis pœnitentis facit, ut Minister licitè det absolutionem pœnitenti, cui ea opinio est subjectivè probabilior. Idem repetit *n. 121.* dicens, quod Confessor, qui audit confessionem pœnitentis habentis opinionem probabilem oppositam, teneatur hunc absolvere, si possit. Ecce iterum, quod Confessor, nixus soli judicio reflexo certo de objectivâ probabilitate opinionis pœnitentis, nō tantum licitè possit, sed teneatur eum absolvere. Demum *tr. 5. de dubio circa legem, n. 121.* ait, quod simoniacus mentalis nihil restituere debeat juxta sententiam communiorum, nec in foro externo privandus sit beneficio, sed tantum coram Deo pœnitentiam agere debeat. Ecce nixus judicio reflexo de communioritate sententiae judicat simoniacum mentalem nihil debere restituere; non enim directè ait, nihil debet restituere; sed reflexè ait, judicio esse communiorum sententiam quod nihil restituere debeat; quod judicium reflexum illi directo æquivaleret in ordine ad non obligationem restitutionis: ergo, juxta P. Scild. operari licet ex solo judicio reflexo de certâ opinionis probabilitate, aut communioritate, suspensio omni directo de veritate. P.D.

N. P. D. Thyrsus est in *Tomo de Probabilio-*
 156. *ritate* repudiet, ut illicitum, modum ope-

P. Thy. randi sub solo iudicio reflexo de objectivâ
 probabilioritate, & obliget semper ad iudi-
 cium directum de veritate; attamen in suis
seleis taxissime ad solam recurrit objecti-
 vam probabilitatem; ita *tom. 1. disp. 1. n. 70.*
 ait: Immo probabiliter quis existimare po-
 terit diverſitatem terminorum sufficere, ut
 Verbum dicatur realiter procedere per in-
 tellectum, & non per voluntatem; & econ-
 tra Spiritum S. &c. Hoc autem non impug-
 nat, ergo hoc tuetur ut probabile: & *disp.*
3. n. 1. ait: Parti neganti ut probabiliori sub-

scribo; non dicit, ut verè: & *disp. 4. n. 9. re-*
 fert Capreolum in *1. dist. 36. art. 2.* qui quia
 difficilem putavit coexistentiam physicam
 futurorum cum Dei æternitate, concludit
 articulum his verbis: *De his nihil omnino asse-*
ro, sed videtur mihi illa fuisse mens S. Thom.
 Ecce Thomistarum Princeps suspendit iudi-
 cium directum, & ad solum reflexum de
 eo quod S. Thom. tenuisse videtur, proce-

P. Thy. dit: & *n. 18. idem P. D. Thyrsus* propriam
 sententiam, quod æternitas sit præſens om-
 ni tempore, & nihil sit futurum, aut præ-
 teritum respectu Dei, vocat valde proba-
 bilem; ait enim: Mihi valde probabilis ap-
 pareret, eique subscribo: oppositam autem il-
 li, communiorē Noſtris, vocat *probabilis-*
simam. Mirabile dictum, negare in *tom. de*
Probabilioritate simultaneam duplicis opi-
 nionis probabilitatem, immò obligare ad
 probabiliorē, & tamen *tom. 1. seleit. disp.*
4. n. 18. vocare propriam valde probabi-
 lem; & oppositam propriam vocare proba-
 bilissimam! Ergo dari potest simultanea pro-
 babilitas, nec maior probabilitas destruit mi-
 norem: ergo licitum erit sequi minus pro-
 babilem; immò quam sequitur P. D. Thyrsus
l. c. est sibi minus probabilis, & opposita
 est sibi probabilissima; & *disp. 20. n. 2. 1. ait,*
 posse probabilissimè negari antecedens cum

C. de Lugo, P. Perez &c. non autem dicit,
 C. de Lugo, P. Perez &c. *nego: & disp. 25. n. 40. ait:* Quamquam quæ
 dixi, probabiliter suadeant in Deo non dari
 nisi affectum gaudij, attamen mihi probabi-
 lissimum videtur dari in Deo affectum me-
 diū, qui impræcindibiliter sit amor strictus,
 & gaudium. Ecce prius probabiliter affir-
 mavit non dari in Deo nisi gaudium; modò
 concedit amorem strictum; & quidem ait si-
 bi probabilissimum, recurriendo ad solam
 modalem propositionem: & *disp. 32. n. 2.*
 ait: Affirmativam, ut probabiliorē sequor;
 non dicit, ut veram; & sic solo iudicio re-
 flexo utitur.

N. Et *tom. 2. disp. 2. n. 10. ait:* Mihi proba-

bilis videtur, quod prædestinatio, juxta
 D. Thom. consistat in imperio practico: & *n.*

16. ait: Mihi valde probabilis est hæc do-
 ctrina, quam plures ex Noſtris sequuntur:
 & *disp. 3. n. 24. ait:* Valde probabilis est
 suppositio, quod impossibile sit, ut volun-
 tas omnibus auxilijs resistat: & *n. 64. ait:*
 Hæc responsio est probabilis, ejulque pro-
 babilitatem promovi; non dicit, veritatem:
 & *n. 133. ait:* Probabiliter dici potest: &
disp. 9. n. 48. ait: Inferitur ex dictis tamquam
 valde probabile Beatam Virginem electam
 fuisse efficaciter ad maternitatem, & glo-
 riam ante absolutam prævisionem merito-
 rum: & *disp. 13. n. 63. ait:* Est hæc senten-
 tia eximii Doctoris probabilissima, & stando
 authoritati probabilior opposita, & confor-

mior menti Divi Aug. D. Thom. D. Ansel.
 ut probant ea, quæ pro illâ adducit eximius
 D. & latius P. Ruiz *disp. 6. de Providentiâ.*
 Stando tamen soli rationi ingentes patitur
 difficultates, & opposita planior, & facilius
 est, & in eam solo discursu naturali ductus
 magis propendeo. Hoc ipsum iisdem ferè
 verbis *disp. 15. n. 1. repetit.* Ecce sententiam
 tuentem in Deo prædefinitiones vocat *pro-*
babilissimam, est disp. 15. per totam tuetur
 opinionem oppositam. Quæro autem, an sit
 sibi probabilissima, an ejus Patronis: si sibi;

ergo sibi contradicit, dum *tom. de Probabi-*
litor. negat duas sententias inæqualiter proba-
 biles posse simul eidem intellectui esse
 probabiles; immò, ergo propria est eidem
 P. D. Thyrsi minus probabilis, quia opposi-
 ta est sibi probabilissima: si aliis; hoc non
 erat opus asserere: immò cum P. D. Thyrsus
 sæpissime utatur terminis superlativis,
 sive de suis rationibus, sive de suis opinionibus
 loquatur: sæpe enim ait, esse sibi verissimas;
 & suas rationes sæpe vocat efficacissimas,
 urgentissimas, & magni ponderis; oportet,
 ut dum oppositam vocat probabilissimam,
 loquatur de probabilitate respectu sui
 intellectus; nam aliquid plus dicit, dum op-

positam vocat probabilissimam, quam dum
 hoc non dicit; sed dum tacet de alienâ, &
 loquitur de suâ, aliena est semper Advertariis
 probabilissima, aut longè probabilior
 juxta ejus effatum; ergo dum non tacet, sed
 laudat alienam ut probabilissimam, non po-
 test præcisè velle esse talem suis Patronis,
 sed etiam esse sibi talem: & *disp. 6. de SS. Trin. num. 54. ait,* se probabilius judicare
 Deum non cognoscere possibilia in ipsis: &
disp. 10. n. 27. ait: Hanc sententiam reliquis
 probabiliorē semper existimavi; & nunc
 verissimam censeo. Ergo idem non est judi-
 care esse probabilem, ac esse veram: ergo
 dum

D. Aug.
 D. Tho.
 D. Ansel.
 P. Suarez.
 P. Ruiz.

Plav.
 mcoi
 dion. 2

P. Thy.

dum affirmat probabilitatem, aut probabilitatem; non affirmat veritatem: ergo in decisione dubiorum utitur solo iudicio reflexo probabilitatis.

N. Et *tom. 3. disp. 4.* quærens, an hæc duo inter se coherereant; Deiparam peccasse in *158.* *Adā*, & tamen non contraxisse culpam originalem, ait autem *n. 22.* Ego valde propendeo in sententiam negantem illa duo posse inter se coherere; & *n. 24.* subdit: Probabilius cenfeo illa duo absolute inter se pugnare: & *disp. 8. n. 46.* postquam opinionem singularem secutus est, ait, quod hæc propositio (peccatum veniale non potest esse totaliter remissum quoad reatum culpæ, manente reatu quoad aliquam partem pœnæ Purgatorii ipsi debitæ) non sit censura digna, sed probabilis: & *disp. 9.* quærens, an sit probabile, quod mortale non sit totaliter remissum quoad reatum culpæ, manente reatu ad aliquam pœnam Purgatorii, præsertim damni, affirmat probabile; & probat *n. 1.* quia ea opinio est probabilis, quæ nititur fundamento gravi autoritatis, & rationis, & nihil habet contra se convincens. Ecce hic utitur ipsâ definitione opinionis probabilis, quâ utuntur Probabilistæ ponentes probabilitatem in gravitate fundamenti, & in nullo contrarium convincente; quæ tamen omnia in *tom. de Probabilit.* refutat negans aliquid esse probabile, nisi sit præeminens; ergo sibi contradicit: & *disp. 11. n. 65.* ait, se probabilius putare actum perfectæ dilectionis delere formaliter maculam peccati mortalis; & *disp. 22. n. 27.* se probabilius iudicare nullam creaturam præfinitam fuisse ante Christum D. & *n. 34.* sibi esse probabiliorē sententiam, quod Christus D. venturus fuisset; Adā non peccante: & *disp. 24. n. 56.* ait: Probabile existimo inspirationem activam &c. & *disp. 34. n. 27.* Crederem non posse differri contritionem post longum tempus ultra dimidium annis id est, probabilius mihi est non posse: & *disp. 36. n. 31.* ait: Pars negans mihi apparet probabilior cum P. Valqu. *qu. 91. art. 2.* & Joan. Sanchi *disp. 44. n. 32.* quia cum nostra sententia sit evidenter probabilis, Sacerdos eā uti absolute potest; & id est conformius Rituali. Ecce ex iudicio certo de probabilitate sententiæ negantis, quod testes debeant iterum coram moribundo dicere eum peccasse absolutionem; iudicat licitum Sacerdoti eum absolvere; & *n. 32.* ait, oppositæ sententiæ Doctores teneri suam sententiam sequi in praxi, deponendo proprium iudicium, & conformando se opinioni adeo probabili: & *tom. 3. n. 1.* postquam negavit absolvi

posse moribundum, qui nullum profus dedisset signum, quærit, an saltem ob auctoritatem DD. iudicantium posse licite absolvere, possit Sacerdos eum absolvere; & ait, quod si dubium sit pure negativum, quatenus nec iudico petijisse, nec non petijisse confessionem, posse eum sub conditione absolvere: & *n. 56.* ait, quod etsi opinio speculativa alferens satis esse, ut moribundus interne doleat, quamvis nullum signum externum exhibeat, ad hoc ut licite absolvatur, exiguum habeat probabilitatem, attamen hæc exigua probabilitas sufficiens fundamentum est, ut quis iudicet se posse licite absolvere talem moribundum sub conditione; ac proinde hæc opinio practica probabilitatem habet. Ecce vel ex hac solâ Disputatione quot, & quanta in nostri favorem; & quot, & quanta contra ea, quæ in *tom. de Probabilit.* habet P. D. Thyrsius. Rursus ex eo quia est practice probabilis utraque allata opinio de moribundo nullum ne quidem absente Confessario signum dante, iudicat licitum Sacerdoti eum absolvere sub conditione.

Demum eodem *tom. 3. disp. 38. n. 10.* ait: N. Ego postquam iterum, atque iterum Tridentinum legi, probabilius cenfeo ad penitentiam non pertinere peccata illa, quæ terminantur intrinsece in ipso instanti Baptismi. Ecce ex probabilitate huius sententiæ iudicat non esse fatenda peccata, quæ in interceptione Baptismi committi possunt: & *disp. 41.* de peccatis dubijs, an confitenda sint, plura habet nostræ doctrinæ de probabilitate conformia, præsertim quod maior, aut minor probabilitas speculativa impertinens sit, ut practica inferatur; ut *sed. 1. & 2.* legi potest: & *disp. 42. n. 4.* ait se adhibere ut probabiliori sententiæ neganti fatendis esse circumstantias. Hoc autem non est idem, ac dicere, adhæreo ut veræ; hoc enim pacto quilibet adhærens propriæ sententiæ ut probabiliori, adhereret ut veræ. Porro ibidem elucidat primam damnatam ab Innoc. & *n. 22.* ait: Constat eum, qui omni circumstantias notabiliter aggravantes, quia ob fundamenta sententiæ negantis format iudicium prudens, & certo probabile, quod non teneatur eas fateri &c. Ecce iudicium certo probabile, non dicit, verum, sed certum de probabilitate satis est, ut licite operemur: & *n. 34.* admisso aliquo impossibili casu de ignorantia penitentis ait: Iudico probabilius, eum facere confessionem nullam; non dicit, facit nullam, sed probabilius iudico quod nullam faciat. Notet autem Lector pinguißimos ignorantissimi Typographi errores; nam ferè omnes Disputationum titulos

P. Valq.
Joan.
S. anch.

rulos confundit; etenim *Disputationi* 42. apponit modo *numerum* 41. modo 49. & *Disput.* 43. apponit *numerum* 50. per totam; & *Disput.* 44. immediate sequenti apponit *numerum* 41. retrocedendo a *num.* 50. ad 51. & *Disput.* 45. *numerum* 42. Omitto adducere alia ex 4. *Tomo select.* præcipue cum sit purè speculativus.

N. P. Muniesla *tom. de Gratiâ disp.* 1. n. 71. examinand, an auxilia danda Adæ; & polteris, si Adæ non peccasset, essent uberiora illis, quæ nunc dantur hominibus à Christo D. reparatis; ait: Res nobis est inexplorata; P. Suar. *lib. 5. de Opere sex dierum* inclinatur in partem negantem; quinimmo cum eodem sentiens P. Ripalda *sect. 7.* inquit credibilis sibi esse uberiora dari nobis per Christum D. reparatis. Ecce dicit, quod alij; si autem regula est, quod opinio ultimo loco citata, & non impugnata, sit ea, quæ approbari solet, sicut P. Ripalda resolvit per maiorem credibilitatem, ita P. Muniesla: & *disp.* 2. n. 107. ait valde probabile visum esse Cardinali de Aguirre *sect. 7.* nomine adjutorij &c. nec hoc negat P. Munies. Ecce duplex Probabiliorista sibi objectivæ probabilitati nititur: & *disp.* 4. n. 29. esse piè credibile Deiparam fuisse causam meritoriam de congruo omnium auxiliorum, quæ nobis dantur, ut eruditè elucidat P. Garau in *Deipara Elucidatâ Princip.* 6. Ecce iudicium reflexum non de credibilitate, sed de credibilitate: & *disp.* 5. n. 4. postquam retulit P. Suar. negantem auxilia concurrere physicè efficienter ad actus salutare, ait, quod P. Suar. probabilem iudicet affirmantem; & ea tæpe uti in *Tomo posthumo.* Ecce quæ prudentia procedit P. Suar. & n. 25. respondet dicendo, quod concedi posset antecedens ob dilparitatem, quam dat P. Ripalda; etsi n. 26. neget: ergo putat primam responsionem probabilem, etsi minus, quam secundam, quam vocat securiorem; illæ autem responsiones sunt sibi contradictoriæ, nam una concedit, altera negat antecedens: ergo P. Muniesla sequitur minus probabilem, & insuper appellat ad iudicium reflexum, non enim ait, concedo, sed responderi posset, concessio antecedenti. Idem habet n. 91. ubi ait: Respondetur aliter securius: & n. 161. relatâ opinione negante, quod auxilia elevare possint potentiam naturalem ad actum salutarem se ipsis intensiorem, ait: Melius affirmant Scotus, Durand. Molina, Suar. Ecce appellat ad iudicium reflexum, quod alij melius affirmant, & directè nihil dicit: ergo ejus iudicium reflexum æquivalet directo affirmanti.

Et *disp.* 13. de Gratiâ *sect.* 8. disputationis, N. qualiter venialia remittantur, cum hoc inter T.T. sit valde incertum, nihil directè dicit, sed ad probabilioritatem recurrit, nam P. Suar. n. 108. ait: P. Suar. latè tradit doctrinam verosimiliorem, quod venialia remittantur, tum per perfectum Dei amorem, & eorum contritionem; tum in iusto per eorum attritionem; & n. 111. ait rationabilis opinari P. Suar. iustum non disponi ad remissionem venialium per quodlibet opus bonum; & verisimile videri eidem Suar. iustum disponi ad remissionem venialium per aliquos actus bonos etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, distinctos à contritione, & attritione; ex.gr. per propositum non peccandi venialiter, aut actus eis peccatis oppositos: & a n. 120. quærit, an dari possit peccatum irremissibile; & ait, quod Card. de Lugo affirmet in aliâ providentiâ; & P. Oviedo neget, quod foret irremissibile; ipse vero P. Muniesla nil directè respondet; ergo approbat ultimam opinionem, non ut veram, nam nil directè dicit, sed ut probabilem, quia ultimo loco refert, & non impugnat: & n. 134. relatâ duplici sententiâ ait: Inclino in posteriorem; to autem inclino importat potiùs inclinationem ad probabilitatem, quam ad veritatem, præsertim cum juxta eundem iudicium directum debeat esse firmum: & n. 139. ait: Non multum gravabor extendere dictas doctrinas ad remissionem venialium.

Et *disp.* 17. de Gratiâ n. 9. ait: Verisimilior mihi est opposita sententiâ, quod nullus habitus virtutum infusarum primò infundatur ante gratiam. Ecce reflexio, & n. 20. Si virtus pœnitentiæ est habitus specialis, mihi non est omnino inverosimile manere in peccatore, cum Fide, & Spe. Ecce iudicium de non omnimodâ improbabilitate, satis est ad decisionem: ergo non tantum licet resolvere dubia per maiorem, sed etiam per minorem probabilitatem: & n. 25. relatâ opinione, quod nullus habitus virtutis, sive Moral, sive Theologicæ uniatur ex naturâ rei cum gratiâ quoad destrui, ait hanc opinionem sibi videri verisimiliorem; quod idem ait n. 51. & *disp.* 18. n. 3. dicens verisimiliorem sibi esse partem affirmantem, quod gratia infuset efficienter in omnes actus virtutum infusarum. Ecce quot modales. Et *disp.* 16. n. 20. quærens, an Beati capaces sint aliquid sibi mereri, ait: Non recusat P. Ripalda *disp.* 77. *sect.* 1. sequens D. Bonav. Alenf. & Durandum dicere, quod Beati mereantur sibi aliqua præmia gloriæ accidentalis; quod idem ait de Angelis Custodibus verisimile esse accrescere sibi gloriam accidentalem in premium

Scotus. P. Mol. Durand.

P. Ripa. D. Bonavent. Alenf. Durand.

premiū sui ministerij: communior tamen sententia universaliter negat: & n. 22. dicit, quod communior sententia negat Eliam, & Henoch modo mereri, esto meritori sint, eum ad communem vitam revertentur: & n. 24. ait: Sequor communioem negantem. Ecce in his locis utitur solā propositione modali, seu reflexā, non autem directā; non enim dicit, nego, sed unice dicit, quod communior opinio negat: ergo iudicium modale æquivalet directo; si enim non æquivaleret, non posset ex modali propositione inferri directā, sed in rationibus conclusio-num allatarum infert propositionem directā in consequenti, ut legenti patebit: ergo modalis æquivalet directæ.

N. Similiter in *Tomo de Deo*, saltem in suis
163. responsionibus appellat sæpe ad iudicium
P. Mun. modale; ita *disp. 11. sect. 4. n. 34.* ait: Sa-
S. Tho. tius mihi videtur non esse necessarium, ut
Scot. malum, quod est misericordie sublevantis
P. Vasq. scopus, sit involuntarium: & *disp. 12.* pon-
P. Suar. derans rationem D. Thomæ inferentis Deum
esse immensum, quia ubique operatur in re-
bus, eas produciens, & conservans, & refe-
rens Scotum, & P. Vasquez negantes quod
ea ratio sit bona; Thomistas autem, & P.
Suar. affirmantes, ait n. 8. Contenta sit ergo
ca illatio suā probabilitate, & S. Thom. au-
thoritate. Immo l. c. utitur responsione no-
bis opportunissima; etenim redarguens ali-
quos Neotericos, qui ex eo quod S. Thom.
n. 8. art. 4. dixit, quod granum milij esset ubi-
que, supposito quod nullum aliud corpus esset,
redarguens, inquam, respondentes, quod
illud granum in eo casu foret ubique nega-
tive, seu nullo in loco, atque adeo interpre-
tantes particulam ubique, quā S. Thom. uti-
tur, ac si dixisset, nullibi, subdit P. Munies-
sa, egregie: Remissi, non sine plausu, re-
spondentem ad Calepinum. Hæc P. Munies-
sa. At pace viri mihi amicissimi, vereor ne
sæpissime possim eum ad Calepinum remit-
tere, dum in suā *Regulā Morum*, qui Tomus
tum elegantia sermonis, tum doctrinæ cla-
ritate distantissimus mihi videtur ab alijs
eiusdem Tomis de *Deo*, de *Gratiā*, de *Christo*
Redemptore; vereor, inquam, ne ad Calepi-
num remittendus à me sit; dum minus pro-
babile asserit idem esse, ac non probabile; &
probabilius idem ac purè probabile; sanè hi
termini ita inversi caliginosi sunt, eo modo,
quo P. Munies-sa *disp. 13. a. n. 35.* Thomi-
starum terminos, quibus utuntur, ut pro-
bent futura fuisse. Deo ab æterno præsentia,
caliginosos vocat; & in *disp. Singulari de Per-
sonatibus n. 232.* ait: His non obstantibus,
probabilem iudico aliquorum sententiam,

posse Episcopum ante sententiam iudicis
dispensare cum simoniaeo in oculo, inha-
bilitate contractā per simoniam. Id etiam
probabile putat P. Lessius *cap. 37. dub. 25.*
qui pro multis mihi est; & non improbabile
P. Giballinus *qn. 31.* ecce resolvit per proba-
bilitatem.

Rursus in *Tomo de Incarn. disp. 1. n. 11 & N.*
13. duplici modo occurrit argumento, qua-
liter Verbum non mutetur per unionem; B. Ma-
ter ergo primam responsionem, quā utitur, non
supponit adeo probabilem, & veram, ut est
secunda, quam vocat communioem, & ex-
peditioem. Idem ait n. 130. & 132. ubi se-
cundam responsionem vocat accommodatio-
em; & *sect. 16.* de cognoscibilitate Incar-
nationis asserit, Angelum, seculā revela-
tione, elicere posse probabilem de Incarna-
tionis possibilitate, immò existentia, alien-
sum, iudicando probabiliter saltem, non re-
pugnare: & n. 208. ait: Iudico probabilis,
Angelum evidenter scire, quod personali-
tas creata uniri non possit alienæ natura-
e. Ecce modalis, & reflexa. Et *disp. 2. n. 62.* ait,
verosimilius sibi esse nihil sanguinis mani-
feste post Resurrectionem, quia totus fuit An-
gelorum ministerio redivo corpore resti-
tutus, quamvis alicubi manent color ille
rubeus: & n. 65. ait: Inter alias duas sen-
tentias probabiles, communior illa P. Suar.
videtur melius salvere &c. Ecce quod utri-
que vocet probabilem; immò n. 66. neu-
tram ex toto sequitur, & non utitur, nisi
modali. Et *disp. 4. n. 16.* ait non videri sibi in-
congruum, quod in Christi D. Resurre-
ctione anima, & forte corpus concurrerit
effectivè ad unionem hypostaticam identi-
ficatam cum humanā. Ecce tum solum iudi-
cium reflexum, & quidem non de maiori
probabilitate; tum quod sicut quia illud non
sibi videtur incongruum, seu quia videtur
probabile, affirmat concurrisse; ita à pari,
quia aliquid non videtur improbabile, im-
mò videtur certò probabile licere, potero
ego affirmare licere: ergo antecedens reflex-
um, & modale, in communi estimatione,
æquivalet directo. Et *disp. 11.* relatā opinio-
ne negante, & aliā affirmante, quod seculo
præcepto Christus D. obligaretur a lege na-
turali charitatis mori pro humano genere, ait
n. 98. Inclino in affirmantem; to autem, n.
98. Inclino in affirmantem de probabilitate
elino, est iudicium reflexum de probabilitate,
te, non autem directum firmum de veritate,
te, præsertim cum huic Authori familiare sit
præferre opiniones, & solutiones vocare ve-
proprias opiniones, & solutiones vocare ve-
ras, verissimas, faciles, expeditas. Et *disp.*
13. n. 79. ait: Improbabile mihi non est
nullam creaturam posse ab aliā intensivè
compre-

P. Mun.
P. Lef.
P. Giba.

comprehendi : & n. 104. ait : Has inter T.T. doctrinas oppositas non abs re existimavit P. Koningi probabile &c. & disp. 14. n. 77. Mihi est valde verisimile eadem virtute Spei, quâ speramus Deum ut nobis bonum, sperare nos alijs Deum ut illis bonum.

N. 165. ait : Verosimilis mihi valde fit opinio P. Bernall, quod specialis Eucharistiae articulus in Symbolo sint ea verba, *Sanctorum communio* nem : & num. 19. ait : Sententia communis, quam ut probabilior sequitur P. Suar. quod Christus D. anno 34. aetatis suae instituerit Eucharistiam : & n. 32. esse contropius Evangelio, institutam Judâ presente, & communicante : & n. 48. Placet mihi communis sententia negans Eucharistiae sumpzionem in re, vel voto, esse de necessitate medijs : & disp. 3. ferè per totam, non movet nisi dubia circa validam pro Eucharistiâ materiam ; & sepe adductis aliorum sentibus, nil dicit, nec approbando, nec reprobando veritatem earum opinionum ; ergo videtur tunc approbare earum probabilitatem ; nisi enim approbaret probabilitatem, teneatur eas rejicere ut improbables : & n. 46. ait, probabilissimè docuisse P. Henriquez, Valent. & alios, quod mixtio aquae sit de necessitate praecepti Divini ; quamvis n. 47. addat, quod communior, & probabilior opinio sit, quod sit tantum de necessitate praecepti humani Ecclesiastici. Ecce oppositam propriam vocat *probabilissimam*, cum tamen tom. de Reg. Mor. neget oppositam posse esse probabilem ei, cui propria est probabilior ; immo neget simultatem probabilitatis : & n. 52. nihil definiendo trahit opiniones de quantitate aquae ; uni decimam, alij octavam, alij sextam, alij tertiam partem vini ; (modicissima enim debet esse aquae quantitas) & n. 162. videri sibi rationabilius cum P. Dicastillo, quod Sacerdos advertens Hostiam à se consecratam esse veneno infectam, teneatur Calicem consecrare, etsi eam Hostiam non sit sumpturus. Ecce directè fert judicium de solâ probabilitate, & nihil de veritate ; immò eadem disp. 3. sepe purè se habet tantum recitativè, referendo opiniones, & non assertivè, tam circa veritatem, quam circa probabilitatem ; nullam enim rejicit ; rejiceret autem, si improbabiles judicaret.

N. 166. Et disp. 4. de Euchar. sect. 8. plures refert sententias probabiles circa variationem formae, an hec, vel illa sit valida, suspensio judicio directo : & disp. 5. sect. 3. de distantia materiae consecrabilis, & sect. 5. de determi-

Tom. III.

natione materiae ; in his enim unicè ut plurimum refert opiniones probabiles DD. inter se pugnantium, quia autem nullam refutat ut improbabilem, videtur assentiri objectivè probabilitati earum, non autem veritati, quia de hoc nihil plerumque dicit : ergo resolutio per opinionum probabilitatem praecisivam à maiori, vel minori, vel aequali, valet ; si enim non valeret, non posset ita se gerere : & n. 131. ait probabilius sibi esse in Passione Christi D. nihil sanguinis perisfles, & totum omnino restitutum Christo D. resurgenti, guttulas etiam adherentes instrumentis Passionis : & disp. 6. n. 80. Existimo valde verosimile nullam dari cognitionem naturalem metaphysicè certam certitudine formali adhuc de objectis omnino naturalibus ; ea enim non datur nisi circa prima principia : & n. 89. ait : Verosimile mihi est, & ab intrinseco probabile, ex naturâ rei posse oculos corporcos videre naturaliter Christum D. in Eucharistiâ presentem, nisi divinitus impediretur ; quod iterum repetit n. 99. de sua, & relatâ Nominalium sententiâ, quod videatur valde probabilis ab intrinseco, etsi à T.T. cum S. Thom. communissimè rejiciatur : & n. 101. ait sibi etiam verosimile esse, hoc etiam modo videri Christum D. in Eucharistiâ ab oculis Beatorum, & sic fuisse visum à Desparâ adhuc mortali, ut piè autumant aliqui apud P. Henao disp. 20. P. Hen. n. 40. Post hæc sect. 10. agit dubium de apparitionibus miraculosis Christi D. in Eucharistiâ. Ecce quot, & quanta pro solo judicio reflexo de probabilitate objectivâ.

Tandem disp. 8. de Euchar. n. 54. ait sibi probabilior esse sententiam Scoti, & 167. Nominalium tuentium inter substantiam Christi D. & accidentia Eucharistica non dari physicam, sed moralem unionem : & à n. 78. plures trahit opiniones probabiles de duratione specierum, ut sciatur quid liceat, & de nullâ fert judicium directum : & disp. 9. sect. 3. refert, quid diversi consulant Neomistis ; & ait n. 24. consultius, & practiciabilius sibi esse, quod Neomistae simul cum Episcopo verba proferant : & sect. 4. trahit opiniones sententiarum posse, & non posse, Laicum ministrare Eucharistiam morituro ; & vix aliquid directè decedit contentus objectivâ probabilitate : & sect. 5. agens de usu opinionis probabilis, ait num. 56. quod judicium de probabilitate non sit opinio ; immò sit judicium verum, certum, & evidens de probabilitate apud DD. contradicentes. Ecce affirmat, quod utraque contradictoria possit esse, DD. contradicentibus, certò, & evidenter probabilis : & disp.

Y

10. n.

10. n. 29. ait sibi esse verisimiliorem opinionem negantem, quod Communio sub utraque specie det maiorem gratiam; & *diff.* 11. plura resolvit trahendo unice opiniones de dispositione necessaria ad Eucharistiam; & a n. 34. & 46. plura solvit per opinionem probabilitatem, quas refert, & quas directe nec approbat, nec reprobat.

N. Appello modo ad Lectorem, immo ad 168. relatos Probabilioritas, & peto a P. D. P. Thyro, & a P. Muniessa, quomodo tam facile obliviscantur doctrina, quam mordicus asserunt, de insufficientia solius iudicii reflexi certi de objectiva probabilioritate, aut probabilitate; si enim hæc insufficientis est, cur doctrina opposita utuntur relatis in locis, appellantes unice ad solum iudicium modale de objectiva probabilitate, aut probabilioritate? Si verò non est insufficientis solum iudicium reflexum suspensio omni directo de veritate, cur illud impugnant in *tract. de Reg. mor.*? Sanè veritas semper est eadem, quod si claudicat, vera non est: ergo vel malè resolverunt dubia in suis *Tomis Theologicis*, si vera est doctrina asserta in *tract. de Reg. Mor.* quod semper necessarium sit fixum de veritate iudicium; vel malè asserunt necessitatem huius iudicii, si citata dubia, sive speculativa, sive practica, per solum iudicium reflexum de objectiva probabilitate, aut probabilioritate veritatis, suspensio prorsus omni directo de veritate, resolverunt. Hinc quò magis nostram doctrinam perpendo, eo magis in eam eo; talis enim est, ut vel impugnantes illam ad se trahat.

SECTIO V.

Aliorum Institutorum Doctores.

§. I.

Utitissimus in Card. Aguirre ad solum iudicium reflexum appellandi mos.

SUMMARIUM.

Plerique DD. contenti solo reflexo, n. 169.

Adrianus Papa ait, unum Doctorem satis esse, si gravis sit, ut quis tunc operetur, n. 170.

Idem Adrianus, & Sixtus IV. solo iudicio reflexo utuntur, ibid.

Card. Aguirre ait, & laudat S. Anselmum, quod utitur rationibus probabilibus, n. 171.

S. Gregor. ait, quod aliqui per inquisitionem nimiam in errorem labantur, ibid.

S. Thom. ait, quod Theologia utitur auctoritatibus Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex proprijs, sed probabiliter, ibid.

Card. Aguirre monet, ne faciles simus damnare oppositam. An hoc cohereat cum doctrina Probabilioristarum? Ibid.

Probabilioristarum? Ibid. C. Aguir. utitur sepiissime solo iudicio de probabilitate, imò probabilitate, a n. 171 ad 179. Inconsequenter doctrina, n. 172. 173. Adversari similitudinem probabilitatis, quam negat, a n. 174. 175. 176. Scelus oppositam sibi sententiam vocat probabilem, n. 177. Abulensis utitur solo iudicio de communitate, & verosimilitudine suspensio directe, n. 179.

Molestissimus essem mihi, & alijs, & N. Matramenti non minus, quam temporis penuriam vererer, si quæ ceteris, quæ prestantiores, & litterario orbi celeberrimos, et omni Familia, Instituto, Universitate, & Natione tradiderunt, in brevem synopsin contrahere vellem. Hoc mihi exploratum, vix ullum sive Antiquum, sive Modernum Doctorem esse, qui in rebus incertis fixum timens proficere de veritate iudicium, solo iudicio reflexo objectivæ certitudinis moralis, aut probabilioritatis, aut probabilitatis, aut maioris verisimilitudinis, aut communitatis, sive æqualis, sive maioris, sive minoris, de veritate opinionis contentus non sit.

Dedi supra *sect.* 1. Adrianum Pontificem Summum, quem Adversarij immerito pro sententiâ negante licitum ulum minus tutæ minus probabilis, invitum trahunt. Hic igitur Pontifex, præter textus à me supra datos, *quodlib.* 1. *art.* 3. in *Alphab.* 2. *lit.* H. ait: Ex his credo probabiliter dicendum, quod sincero affectu salutem animæ suæ querens, si consilio Magistri, vel egregij illius Doctoris Hugonis de S. Victore propter scandalum vitandum, non veræ uxoris debitum reddiderit, excusetur à peccato, etiam si eorum opinio sit erronea. Ecce 1. quod, juxta Adrianum, unus egregij Doctoris opinio excuset operantem, etiam si foret erronea. Ecce 2. utitur iudicio reflexo de objectiva probabilitate; ait enim, Credo probabiliter dicendum, id est, iudico certo probabile &c. Similiter *sect.* 3. §. *unic.* dedi Franciscum de Ruvere, qui etiam ad totius Ecclesiæ regimen evectus fuit; hic enim Pontifex utitur solo iudicio reflexo de probabilitate, dicens probabile esse, quod Deitas separata fuerit à sanguine effuso: ergo solum de probabilitate iudicium in questione num resolutione satis est juxta citatum Pontificem.

Sed accedamus ad Card. Aguirre, Probabilioristam, & videamus qualiter in suis in *S. Anselmum Tomis* discurrat, an ubique omnia resolvat per iudicium directum de veritate, an sæpius utatur solo iudicio reflexo

flexo non tantum de probabilitate, sed de probabilitate. Igitur *tom. 1. in S. Anselm. tr. 1. disp. 1. n. 27.* loquens de S. Anselmo ait: Præter rationes plerumque demonstrativas, quibus utitur ad probandum veritates naturaliter demonstrabiles, adducit plures alias solum probabiles, quæ verosimiliter ostendant ea ipsa mysteria, quibus præcipue assensum præstamus per Fidem, conferant aliquid momenti ad solvenda argumenta in oppositum. Ecce quid de tuo Magistro dicat; non dicit rationes probabiles, quibus verosimiliter, sed probabiles, quibus verosimiliter; nec dicit illas conferre multum momenti, sed aliquid momenti: ergo nullo iure obligat nos sequi, & uti tantum rationibus probabilioribus, quibus verosimiliter ostendatur veritas moralis. Immo nequeo præterire, tum quod Card. Aguirre *n. 28.* trahit ex S. Greg. *lib. 16. Mor. cap. 17.* dicente de aliquibus, quod per inquisitionem nimiam in errorem labantur. Hoc autem nequam convenire potest, ac obliganti ad iudicium directum probabilis, non contentus solo reflexo evidenti de objectivâ probabilitate; iste enim ob nimiam veritatis inquisitionem, & amorem sepe in errorem labitur, cum iudicio probabiliori inquit sepe error: tum quod tradit *n. 36.* ne faciles simus nigro dente convellere opiniones alienas; an autem huic consilio pareant, aut parere possint illi, qui eo ipso, quod suam iudicant probabiliorem, eo ipso alienam iudicant apud se non tantum falsam, sed ne quidem probabilem juxta principium Probabilitatis, viderint illi: & *disp. 2. n. 37.* ex S. Thom. *1. p. qu. 1. art. 8.* ait, Theologiam uti auctoritatibus Doctorum Ecclesiæ, quasi argumentando ex proprijs, sed probabiliter: & *n. 38.* ait, nullum ex SS. PP. in singulari, suâ auctoritate reddere doctrinam aliquam omnino certam, sed tantum probabilem. Ecce S. Thom. non dicit probabilis, sed probabiliter; & Card. Aguirre non dicit probabiliorem, sed probabilem: vel ergo tunc probabiliter, & tunc probabilem, stat subjective, & sic ad operandum satis erit opinio subjective probabilis; vel stat objective? & sic satis erit iudicium modale certum de probabilitate.

Similiter *tom. 1. disp. 4. n. 15.* ait probabilior sibi videri sententiam aliorum TT. cum S. Thom. quod Theologia non sit habitus supernaturalis. Ecce purum de objectivâ probabilitate iudicium. Et *n. 30.* Communior aliorum sententia, ac meo iudicio verior est, quod conclusio Theologica mediatè solum spectet ad Fidem. Ecce probabilitas objectiva; ait enim sibi verius,

Tom. III.

seu verosimiliter sibi esse. Et *disp. 8. n. 19.* loquens de ratione, quâ utitur P. Raynaudus, ait esse probabilem, non tamen concludentem; & subdit: Quin & probabile est intellectui animæ separatæ debitam esse cognitionem evidentem Angelorum. Ecce tum sola objectiva probabilitas, tum quod ratio aliena possit esse probabilis; ergo etiam aliena conclusio opposita meæ. Et *disp. 9. num. 30.* Longè probabilior sententia est, quæ negat possibilem esse creaturam perfectissimam: & *n. 39.* ait, omnes Divi Thom. Interpretes dicere ejus rationem esse tantum probabilem: non dicit probabilior: & *n. 52.* ait dici posse quod Dæmones actu fidei supernaturalis, coacti tamen, credant possibilitatem visionis Dei amissæ in pœnam scelerum; nec absurdum esse ut illis inexistat aliquid intrinsecè supernaturale, sicut in hominibus damnatis character supernaturalis Baptismi, & Ordinis, in maiorem eorum ignominiam, ut TT. cum D. Thom. *3. p. qu. 63. art. 5. ad 3.* Quin Durandus in *2. dist. 3. qu. 7. n. 20.* ait, Dæmones per revelationem agnoscere effectus supernaturales; & *dist. 7. qu. 3. n. 4.* supponit Dæmones posse plura supernaturalia cognoscere ex Dei revelatione; & in *3. dist. 23. qu. 9. n. 9. & 10.* probabile putat actum, & habitum fidei infusæ manere in Damnatis. Quod ipsum docere videtur S. Thom. Alensis, & alij citati à P. Suar. *disp. 6. de Fide, sect. 9. n. 8.* Ecce Card. Aguirre, ut ostendat Dæmones nullo actu naturali evidenti cognoscere possibilitatem visionis Dei, recurrit ad puram probabilitatem sententiarum oppositarum, quas iudicat falsas, & minus probabiles: ergo usus probabilitatis objectivæ utilissimus est, immò licitus.

Rursus *tom. 1. disp. 10. n. 33.* ait: Hæc solutio omnium probabilior videtur, & quæ difficilius impugnari possit; eam tamen impugnat; ergo vel per probabiliorem intelligit unice probabilem, & hoc non, quia eam impugnat; vel æquè, aut minus probabilem; & sic solutio opposita propriæ est mihi probabilis, immò probabilior, ita enim vocat. Addo, quod si solutio opposita suæ est probabilior, ergo propria solutio erit illi minus probabilis; quomodo ergo obligat ad probabilis, si ex solutionibus sequitur minus probabilem? Et *disp. 16. num. 24.* allatâ Scoti ratione pro repugnantia virtutis creativæ in creaturâ ait: Ratio hæc probabilis est, & ingenio Subtilis Doctoris digna, sed facile solvi potest. Ecce dat probabilitatem rationi, quam rejicit: ergo non est idem minus probabile, ac non probabile; nec est

Y ij idem

idem probabilius, ac unice probabile; nec
verum est, quod opposita opinio, aut ratio
non sit probabilis illi, cui propria est proba-
bilior; quæ sunt principia Probabiliorista-
rum, quibus Card. Aguirre inhæret.

N. Tandem *tom. 1. disp. 7. n. 9.* ait: Multi pro-
babiliter docent non esse opus ut instrumen-
tum &c. Ecce utitur doctrinâ probabilis
aliorum, ut ostendat argumentum non esse
convincens; ergo licet uti, non tantum ju-
dicio de objectivâ maiori aut equali, sed
etiam minori probabilitate, immo cum ju-
dicio de falsitate ejus doctrinæ probabilis:
& *ibid.* prosequitur utendo opinionibus pro-
babilibus alienis, quas non approbat ut ve-
ras; immo à *n. 35.* ut objectionem solvat,
utitur doctrinis probabilibus inter se oppo-
sitis: & *disp. 18.* ait: Quamvis hæc proba-
biliter dicta sint juxta sententiam D. Thom.
possunt etiam probabiliter solvi. Ecce simul-
tas probabilitatis, nam & rationem Divi
Thom. & solutionem ei oppositam vocat
probabilem. Et *disp. 19. n. 4.* ait verisimilio-
rem opinionem negantem, quod actio pro-
ductiva sit à Deo distincta: & *disp. 34. n. 11.*
ait valdè probabilem opinionem tuen-
tem, quod Deus re ipsâ ex tempore ad crea-
turas referatur: ecce probabilitas objectiva:
& *n. 50.* de opinione statuente relationem
prædicamentalem in solo fundamento, con-
notato termino, ait, quod sit valdè proba-
bilis; eam tamen, etsi nunc probet, prius
deleruerat; immo *n. 57.* utitur responsione
fundatâ in opinione oppositâ statuente rela-
tionem prædicamentalem in aliquo superad-
dito intrinsecè ipsi fundamento. Et hæc ex
tom. 1. neglectis pluribus, satis sint.

N. Consultamus secundum, in quo habet se-
quentia; nam *disp. 62. n. 55.* ait: Quidquid
in oppositum velit P. Ruiz *disp. 60.* de SS.
Trin. *sect. 6.* nobis probabilius videtur, Per-
sonas Divinas propriè, nec sibi, nec mutuo
inter se loqui: & *n. 61.* sibi probabilius esse,
quod verbum in nobis non distinguatur ab
intellectione: & *disp. 67. n. 71. & 72.* du-
pliciter respondet juxta duplicem contra-
riam opinionem, unam Thomistarum, alte-
ram Jesuitarum, de efficaciâ gratiæ, præsci-
dendo à veritate earum, confusus soli objecti-
væ probabilitati utriusque opinionis: & *disp. 68. n. 12.*
suam opinionem vocat veriore, seu verisimilio-
rem: & *n. 15.* rationem, quam refutat, vocat
valdè plausibilem, & probabilem: & *n. 26.* ait:
Probabilius apparet, & conformius Scoto. Ecce
reflexum modeste judicium. Et *n. 50.* dicit, quod
objectioni responderi posset juxta sententiam
Durandi in *4. disp. 49. qu. 3.* quam etiam Scotus pro-

Durand.
Scot.

babilem reputat. Ecce Scotus, & Aguirre
eâ solutione utens putat probabilem. Et *n. 63.*
dicit: Vidimus potiora utriusque sen-
tentia fundamenta, ex quorum solutione pa-
tet, unamquamque esse satis probabilem,
tum ab autoritate, tum ratione... adhuc
tamen probabilioris censio negantem. Ec-
ce tum quod utraque sit eidem Aguirre pro-
babilis, tum solum judicium modale de pro-
babilitate negativæ: & *n. 74.* adductis ra-
tionibus pro eadem negante, ait: Longè ve-
riorem existimo negantem. Ecce iterum so-
lum modale.

Similiter eodem *tom. 2. disp. 70. n. 22.* trade-
re tentans rationem, cur Filius Dei sit ima-
go, ait hoc explanari posse juxta utramque
opinionem, contradictoriâ autem sumptis
utramque putat probabilem, nam judicat P. Val-
aptas explanationi: & *n. 33.* ait posse melius
responderi cum P. Suar. P. Valqu. P. Am-
co *tom. 1. disp. 26. n. 211.* ideo Verbo con-
venire conceptum imaginis &c. Ecce reflexum
de verisimiliori responsione. Et *disp. 71. n. 20.*
ait, probabile esse, quod S. Thom. in Summâ
mutavit sententiam: & *n. 21.* Censio verius,
& probabilius in Divinis Personis dari entia
substantiva, sed cum addito, nempe relativa:
& *n. 34.* ait: Melius responderi potest. Ecce vel
est idem ac respondere, & tunc modale æquivalet
directo; vel non facit. Et *disp. 74. n. 46.* ait juxta
verioris sententiam, essentiam distingui ab exis-
tentiâ: & *n. 51.* ait: Suppositâ sententiâ valdè
probabili, quam secuti sumus in Metaphysicâ.
Ecce ibi veram, hic valdè probabilem judicat,
& ex probabilitate objectivâ opinionis differit:
& *disp. 75.* ait: Opponit Godoy *1. p. disp. 80. n. 116.*
probabile esse quod humanitas Christi retineat
proprium existentiam. Ecce Godoy inter T. T. notissimus
solâ utitur probabilitate objectivâ. Et idem
C. Aguirre *l. c.* post pauca ait, quod Theologi
passim Fidei veritates exponant per opi-
niones sibi probabiles. Ecce non dicit veras,
sed verisimiliores: ergo judicium de solâ
objectivâ probabilitate est familiare, & utile
Theologis, ut veritates Fidei explicent; cur
non etiam, ut juxta veritates Morales operemur,
nisi soli judicio de earum objectivâ probabilitate?

Demum eodem *tom. 2. disp. 76. n. 3.* ait N.
sibi esse longè verioris sententiam veterum
Thomistarum. Ecce solum judicium de ma-
iori probabilitate. Et *n. 44.* esse sibi probabi-
liori probabilitate. Et *n. 75.* ait: le, quod entitas
existentiæ &c. Et *n. 75.* ait: Dicimus utramque
sententiam esse valdè probabilem, & maxime
coherētem doctrinæ Conci-

Conciliatorum PP. & TT. & *disp.* 77. n. 16. ait, se daturum plura testimonia Patrum, quæ rem saltem maximè probabilem reddant: & *disp.* 78. n. 6. iudicat suam asser- tionem valde coherentem Anselmo: & *disp.* 80. n. 49. ait: Idipsum tradit Scotus *dist.* 28. *qu.* 3. *§.* *Ad questionem.* & *§.* *Ad argumen- tum principale.* & *quodlib.* 4. nempe Perso- nas Divinas constitui relationibus sub mu- nere proprio relationum, quamvis idem Sco- tus aliter probabilem esse opinionem Joan- nis de Ripa docentem constitui per proprie- tates absolutas. Ecce Scotus sententiam suæ oppositam vocat probabilem: & *num.* 60. ait Card. Aguirre se, ut respondeat salebroso, & subtili argumento, electurum, quod pro- babilius apparet: non dicit verum, sed pro- babilius: & *disp.* 91. n. 21. ait, videri satis probabiliter constare, quòd processio Spiritus S. à Filio ante Lateranensem non fuerit de- finita: & *disp.* 92. *sect.* 3. videri admodum probabile, quòd particula, *Eliquoque procedit*, addita symbolo fuerit in Concilio tertio Toletano: & *disp.* 93. *sect.* 2. ait: Porro Sco- tum, & sequaces probabiliter allegare pro se S. Anselmum; alios vero cum S. Thom. probabilius in oppositum; & *n.* 15. Quam- vis hæc probabiliter dicta sint; & *num.* 17. Centeo probabilius cum S. Thom. & *sect.* 3. Ostenditur ex mente S. Anselmi tamquam probabilis, quòd Spiritus S. non foret Per- sona distincta à Filio, si ab eo non procede- ret: & *disp.* 100. n. 12. Posterior dicendi mo- dus est planè verosimilior precedenti, nec tamen ideo verus, quantum conicere pos- sumus. Ecce tum perpetuus solius iudicii reflexi usus; tum quòd in opinionibus suæ oppositis agnoscat unam esse probabiliorem alia: ergo falsum est Probabilioristarum principium, quòd nulla opposita opinio sit mihi probabilis; nam licet omnes iudicem falsas, attamen una est mihi (ait Card. Aguir- re) verosimilior alia. Hæc quoque, præter- missis alijs, sint ex *tom.* 2. satis.

N. In *tertio Tomo* hæc habet *disp.* 103. n. 41. 178. Centeo valde probabilem opinionem, tum C. Agui. quòd possibilis sit, tum quòd de facto exi- stat creatura intellectualis &c. Ecce iudi- cium reflexum, & modale æquivalens direc- to, & absoluto, nam ejus rationes non tan- tum probabilitatem, sed veritatem opinio- nis suadent. Idem repetit *n.* 64. & 85. di- cens: Hæc solutio, & doctrina, quamvis absolute probabilis sit, est tamen minùs conformis Divo Thom. Ecce solutionem minùs conformem D. Thom. vocat absolu- tè probabilem: & *disp.* 108. n. 28. ait: Sup- positâ priori sententiâ tamquam conformio- Tom. III.

ri verbis D. Thom. concedo enthymema. Ecce non dicit, tamquam absolute vera, sed tamquam verosimiliori: & *disp.* 109. n. 11. ait: Licet utraque opinio inter Scholasticos communis sit valde probabilis, posterior videtur verior, & conformior Divo Thom. Ecce tum quòd utramque iudicat valde pro- babilem, etsi posterior sit ei probabilior; tum quòd dubium resolvat per probabiliorita- tem, quæ æquivalet, juxta Card. Aguir- veritati; nam ejus rationes probant verita- tem opinionis: ergo si licet uti solo directo, licebit etiam solo reflexo, cum æquivalent. Et *disp.* 115. n. 26. ait, videri satis simile ve- ro &c. Et *disp.* 119. n. 34. & 35. Hæc solu- tio probabilis quidem est, reverà tamen dif- ficilis; id est, est probabilis, falsa tamen: ergo opinio rejecta ut falsa, potest esse pro- babilis: & *n.* 42. ait: Hæc ratione, & viâ explicatur satis probabiliter, & piè, quali- ter homines infideles, etiam illi, qui nihil de Fide audierunt &c. Idem ait *n.* 43. ad cujus finem dicit: Vide alium modum, quo fortè probabilius exponi potest &c. Ecce utitur solutione purè probabili: & *disp.* 120. n. 33. ait: Puto hanc sententiam valde probabi- lem, eamque sequitur; quin *n.* 36. ait: Val- de probabile est, immò nostro iudicio pro- babilius &c. Ecce solâ probabilitate, aut probabilioritate contentus est. Et *n.* 67. ait: Etsi allata solutio sit valde probabilis, & sa- tis pia, non tamen videtur satisfacere: & *n.* 73. ait probabilem sententiam D. Thom. de S. Tho- amoris præcepto, primo rationis instanti, etsi oppositam sequatur: & *ibidem* ait pro- babile admodum esse, quòd Deus initio usûs rationis conferat omnibus adultis auxilia, saltem remotè sufficientia ad ipsum aman- dum super omnia... suffragatur Godoy 1. M. God. 2. *qu.* 109. *disp.* 40. *§.* *ult.* & probabile putant Salmat. PP. Salmanticenses. Ecce tum, quòd Sal- manticenses utantur solo iudicio modalis; tum quòd C. Aguirre iudicat valde proba- bilem sententiam, quam non sequitur. Et hæc quoque ex 3. *Tomo* satis sint, ut inde constet nullum Adversarium esse posse Theologum, nisi utatur nostrâ doctrinâ de sufficientiâ solius iudicii modalis, & certi de objectivâ probabilitate, aut probabiliorita- te veritatis opinionis.

Episcopus Abulensis, qui meritò tum do- N. 179. Abul. ctrinæ extensione, tum sapientiæ celsitudi- ne, Hispaniæ Salomon nuncupatur, loquens de opinione tuente, longè plures damnan- dos, quàm salvandos, in *caput* 22. Matth. *qu.* 69. ait: *Ista positio est communis, & satis verosi- milis.* Ecce solum iudicium modale de com- munitate, & probabilitate opinionis satis fuit

fuit dicto Authori ut prudenter procederet in dubij resolutione; ergo multo magis nobis, nisi supra sapientissimos sapere velimus.

§. II.

Reliqui Doctores.

SUMMARIUM.

Qui solo iudicio reflexo de quolibet certâ, etsi minori, probabilitate utuntur; M. Hozes, n. 180. Joan. Sanchez, n. 181. Illust. Malder. n. 182. Leander à SS. Sacram. n. 183. Averssa, n. 184. Thom. Hurtado, n. 185. Verricelli, n. 186. Diana, n. 187. Basilius Ponze, n. 188.

Alij DD. Ibid. & n. 189.

Egregium dictum Caietani in eos, qui propria opinioni tenaciter adhaerent, n. 190.

Docilitas ingenij laudatur à Scripturâ, à D. Augustino; eaque deseritur per doctrinam Probabilioristarum, n. 191. 192.

Errores ab Ecclesiâ damnati ne quidem sunt opiniones, multo minus probabiles, n. 139.

Quantum estimanda opinio aliena juxta S. August. & alios, n. 194.

N. 180. **M**agister Hozes, vir æquè Religiosus, ac doctus ex inclyto Carmelitarum Calceatorum Ordine in *Exposit. Damnat.* sæpe ad solam probabilitatem recurrit, & infert licitum sub eâ operari: ita pag. 40. n. 80. infert licitum Religiosis uti Bulla Cruciatæ in ordine ad absolutionem, eo quia hæc sententia est certo probabilis, immò miratur cum P. Fr. Andrea de Matre Dei Carmelitâ Discalceato, quod PP. Societ. eam vocent improbabilem.

N. 181. Joan. Sancius Salmantinâ in Academia celebri, plerumque in suis Selectis sibi nititur probabilitati, ut passim legere est.

N. 182. Illust. Malderus Antuerpiensis Episcopus, sapientiâ suâ satis notus, in 2. 2. tr. 5. Malder. cap. 3. dub. 6. & alibi frequenter suspendit iudicium directum, contentus solo reflexo de probabilitate.

N. 183. Leander à SS. Sacram. vir tanè doctissimus, tom. 2. de Sacram. tr. 6. disp. 13. qu. 13. probabilem vocat opinionem tuentem, quod voluntariè distractus satisfaciât præcepto recitandi: & tom. de Pœnit. disp. 8. qu. 20. quærens, an unum, an plura peccata sint, plures uno ictu occidere, ait: Affirmant communiter DD. sed æquè probabiliter respondeo negativè &c. & tom. 4. de Censuris tr. 1. disp. 3. qu. 51. ait probabilius esse, quod in hoc casu non sit duplex peccatum: & ibid. tr. 2. disp. 17. qu. 85. ait satis, probabile esse,

quod, absolute loquendo, possit Confessor ex vi Bullæ Cruciatæ absolvere Hæreticum occultum, & emendatum. Adverto tamen hanc opinionem non esse probabilem. Superfedeo ab alijs locis ubique enim sperat solam probabilitatem objectivam.

Aversa inter suos regimine, & inter ceteros N. doctrinâ satis notus, de Euchar. qu. 10. sect. 182. 4. quærens, an ex necessitate possit purus Acolitus, vel etiam fœmina ministrare Eucharistiam sibi, aut alteri in mortis articulo constituto, ait: Id etiam his temporibus in casu præcisè necessitatis censeri potest licitum: ecce non dicit, iudico, sed iudicari potest licitum: ergo dummodo adit motivum certò grave, cui iudicium directum niti potest, etsi hoc suspendatur, hæc talis ministratio: ergo ad licitè operandum satis est probabilitas objectiva, sine formali. Ita sæpe alibi de Pœnitentiâ, Baptismo, nec non in quæstionibus speculativis.

Thomas Hurt. ut plurimum iudicio de N. objectivâ probabilitate utitur: ita tom. 2. tr. 182. 8. cap. 1. ref. 9. n. 175. & 198. quærens, an Thesagabellæ iusta solvi in conscientia debeant, si hæc ab exactoribus non exigantur, resolvit reflexè per probabilitatem, non per veritatem; ait enim valde probabile esse sententiam hoc asserentem: & ibid. tr. 12. cap. 1. n. 152. ait, valde probabile esse, quod hæresis occulta sit casus Episcopalis: & tom. 1. tr. 5. resol. 17. asserit valde probabile, quod Episcopi vigore Tridentini absolvere possint Hæreticos occultos. At quid plura ex docto Authore, cum ubique probabilitati nitatur?

Verricelli, vir verè doctissimus, jurem. N. rito à Bordonis appellatus cap. 6. in Propag. 186. nac. n. 16. ut plurimum ad probabilitatem Verricelli objectivam accurrit, ut oculis ipsis manifestum est; inter alia hæc habet tr. 2. qu. 10. quod si intellectus ferre deberet iudicium inter res probabiles, non necessario iudicaret simpliciter verum, quod est probabilius (ecce, quàm aperte opponatur Modernis Probabilioristis, tum iudiciis simpliciter verum, quod est probabilius, tum obligantibus ad iudicium directum de veritate opinionis probabilioris) sed utrumque altereret verum plus, & minus, quatenus probabilior magis accedere videtur ad objectivam veritatem rei, quàm minus probabilis; adhuc tamen utraque involvit veritatem moralem, secundum magis, & minus, ut ait Bordonus cap. 5. n. 28. & cap. 6. n. 21.

Diana celeberrimus in re morali, vix ali. N. quid directè resolvit, sed ferè semper utitur iudicio reflexo: ita pari. 4. tr. 3. resol. 20. Probabilis.

probabilem asserit opinionem de dubio circa culpam juridicam: & *part. 10. tr. 11. resol. 34.* probabilem censet opinionem Leandri, & aliorum, quod opinio probabilis circa requisita ad indulgentiam faciat, ut quis eam lucretur, etsi non ponat ea, quae requiruntur: & *part. 11. tr. 5. resol. 3.* dicit se in praxi secutum esse opinionem oppositam tamquam probabilem, etsi ei adversam vocet probabiliorem.

N. Demum Basilius Ponze de Matrim. *Ca. 188.* ram. in Theologia, Verde in Anacephalotico, Barthol. à S. Fausto de Jubileo, Anton. à Spiritu S. in Directorio, Trullenc. in Bullam Cruciatæ, & in Præcepta, Duardus in Bullam Cœnæ, alijque suis operibus, Portel de Privilegijs, Garcia de Beneficijs, Lezana in pluribus Tomis, Lumbier in materijs tum practicis, tum speculativis, Delbene de Immunitate, alijque suis Lucubrationibus, Bonacina in omni materia morali; & quotquot Academia, vel Parisiensis, vel Salmanticensis, vel Lovaniensis, vel Complutensis, vel Mediolanensis, vel Bononiensis, vel Romana, Doctores educavit, ferè omnes unâ voce, & uno calamo, plerumque ad solam certam probabilitatem, aut probabilitatem objectivam, suspento omni prorsus judicio directo, in dubiorum, si ve Scholasticorum, si ve Moralium resolutione recurrunt.

N. Quin perecurrant Antiqui, nempe Hugo de S. Vict. Richard. de S. Vict. Thom. Hug. de Argentina, Egidius Colum. Gregor. de S. V. ct. Arimino, clarissimi Familiae Augustinianæ Scriptores; necnon legantur Henricus Sylvius, & inter Modernos Elias à S. Cassiano; immò ex Ecclesiasticis secularibus M. Petr. Lombardus, vulgo dictus Magister Sententiarum, Henricus Gandavenis, Guilelmus Altisiodorensis, Gabriel Biel, Joan. Maior, Alphonsus Curiel, & alij, qui ubique ut sapientiae, & prudentiae portenta habiti sunt; hi omnes crebrò tum in speculationum, tum in moralium dubiorum resolutione ad solam probabilitatem objectivam confugiunt. Quibus autem satis non sunt Doctores à me citati, nec satis erunt citandi.

N. Nunc mihi ad duos, vel tres Probabilioristas non tantum inter se, sed quilibet sibi ipsi, discordes, sermo sit. Rogo, an scandalosum sit eo modo dubia moralia, aut speculativa resolvere, quo plerique Thomistæ, plerique Scotistæ, plerique Theologi. Negabunt utique: si igitur hoc jure merito negant, cur nostram doctrinam tamquam recentem Novitatis nomine inficiunt, nec non scandalum culpâ contaminant? Sanè mihi sem-

per maximè arrisit prudens Em. Caietani dictum in Summâ v. *Opinio*, ubi habet: *Opinio tripliciter est illicita. Primò ex eo, quod voluntaria. Secundo, ex non relatione ad suam regulam. Tertiò, ex modo, dum nimis firmiter adheretur opinioni, & asseritur ut certum, & indubitatum, quod tamen est intra latitudinem opinabilium; & hinc sæpe erratur ex nimio affectu ad nostram, & minore quam opus fuerat examine, resolutione, ac judicio, dum probabilia accipiuntur ut demonstrata. Hac Caietanus.*

In cujus verbis habent, quod discant aliqui Probabilioristæ Neoterici, qui cuique sibi probabiliori adherent per judicium absolutum, firmum, & fixum, immò ita adherendum esse, & quidem firmiter, expressè docent. Nihil autem habent, quod discant Doctores à me ex omni Scholâ, & Universitate citati, qui ne in judicio directo subjectivè probabiliori, aut probabili errent; non tantum non adherent illi firmiter, sed illud suspendunt, & sapissimè convolant, & appellant ad solam certam veritatis opinionis probabilis, aut probabilioris, objectivam probabilitatem, aut probabilitatem; immò quoties directè assentiuntur propriæ opinioni, si ve ut probabili, si ve ut probabiliori, attamen non ita firmiter adherent, ut judicent illam esse absolutè, & simpliciter veram; nec de eorum numero sunt, ut alienam non putent sibi probabilem, quoties propria est sibi probabilior, quin maturissimè procedunt, non ita affectu propriæ opinioni, ut simul non sint plausiores alienæ.

Hinc ingeniorum apex S. Augustinus *lib. N. 4. de Baptismo*, volens pro merito laudare D. Cyprianum, hoc unice dixit, cum non tantum *doctum*, sed *docilem* fuisse, explicando id ipsum, quod Apostolus in laude Episcoporum, cujus prerogativas designat, scribit ad Titum, ut non tantum scienter doceat, sed patienter discat: quod ipsum laudat S. Joan. *cap. 6.* dum ait: *Est scriptum in Prophetis, omnes erunt docibiles*; quibus verbis significatur gratia, quâ homines post Evangelium facilius legem Dei scituri, & ei obediri sunt. Rogo autem, quid discere possint ab alijs quantumcumque sapientissimis, illi, qui omnem eorum opinionem oppositam propriæ, non tantum falsam, sed apud se non probabilem judicant.

Rursus rogo, an inter oppositam opinionem, & errorem, immò hæresim, (nam in materia etiam Fidei circa incertò revelata dantur opiniones) aliquid intersit discrimen. Hoc novi, quod S. Thom. *3. p. qu. 2. art. 6.*

tres

tres sententias referens dicat: Prima opinio, & tertia non sunt dicendæ opiniones, sed hæreses in Conciliis ab Ecclesiâ damnatæ. Ecce S.D. opinionem ab hæresi distinguit; quod & nos docuimus dicendo, damnatos ab Ecclesiâ Hæreticorum errores, non tantum non esse opiniones probabiles, sed ne quidem esse opiniones, sed hæreses. Si autem omnis aliena in materiâ Fidei inter Catholicos incertâ est semper error, immo ita est falsa, ut non sit probabilis illi, cui opposita propria est probabilior, ut aliqui Neoterici Probabilioritæ docent, (quod tamen esse evidenter falsum fatetur vel ipse Fogarinus

Fogar.

ipse Fogarinus Certitudinista) eo ipso sequitur, quod cum ille error sit in materiâ Fidei, erit hæresis respectu illius, cui opposita propria est probabilior. Hoc autem non tantum est contra S.Thom. quin omnem sapientiam Catholicam, & Christianam: ergo aliena est etiam probabilis illi, cui opposita propria est probabilior: ergo potest quis licitè sub certo de objectivâ probabilitate opinionis alienæ iudicio operari, suspensio saltem iudicio di-

recto subjective probabiliori de veritate propriæ.

Plura de existimatione, quàm de opinio. Ne alienâ habere debemus, dabit M. Sylve. 101. fter in Sum. v. Contentio, & M. Ponus in Min. Armil. v. Magistri, & Guimen pag. 402. mihi fatis est S. Augustini exemplum, de quo P. Vasqu. i. p. disp. 89. cap. 4. dixit: Vnus pro P. Vas. multis mihi semper erit Augustinus; nam in materiâ de Gratia non aliter, quàm Sol inter minora Sydera, inter ceteros Ecclesiæ PP. fulget Augustinus, ait P. Vasqu. cap. 1. Igitur S. Aug. de se loquens lib. de Dona Persever. cap. 22. scribit: Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam præterea nunc facio libros, in quibus Opuscula mea retractanda suscepit, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem. Ecce quâ moderatione de se loquatur, approbans licitum sequi tam suam, quàm oppositam opinionem, nisi perspexerit aliquis, id est, clarè noverit, eam esse errorem.

DISPUTATIO XXIII.

Solidissimæ rationes pro solius iudicij reflexi certi de objectivâ prædictâ probabilitate veritatis opinionis sufficientiâ.

SECTIO I.

Prima ratio ex perfectissimo Mariane mentis, & voluntatis intelligendi, & operandi modo.

§. I.

Deipara exemplum in incertis.

SUMMARIUM.

*Admirabilis doctrina P. Suar. n. 1.
Ex summâ Deiparæ prudentiâ infert P. Suar. Deiparam numquam definitè de re incertâ iudicasse, n. 2.
Infert Deiparam ad solum iudicium reflexum tunc appellasse, n. 3.
Et quidem ad solum reflexum de probabilitate, num. 4.
Longè prudentius est ad solum reflexum appellare, quàm ad directum, n. 5.
Solum iudicium de objectivâ probabilitate satis est juxta P. Suar. ad prudenter operandum, num. 6.
Implicat lex obligans in incertis ad iudicium directum, ib.*

Trahit P. Suar. exemplum Beatorum, qui solo reflexo contenti sunt, n. 7.

Lex obligans ad iudicium directum est contra prudentissimum Deipara, & Beatorum modum, n. 8.

Ex dictâ doctrinâ formo insolubile argumenti. 9. Immunitas intellectus Mariani ab omni errore salvari non potest, nisi suspensio iudicio directo de veritate, & concepto solo reflexo de probabilitate, ib.

Omne iudicium, etsi moraliter certum, esse potest materialiter falsum, n. 10.

Ex eo quod Deipara numquam erravit, non infertur, quod omnia sciverit, n. 11. 12. 13. Revelationes fictitiæ non sunt admittendæ, ib. & n. 14.

Deipara à solo iudicio reflexo, suspensio omni directo, regulata fuit immediate ad honestissimas operationes, n. 15.

Perfectissimus operatur, qui nititur soli reflexo de probabilitate, quàm qui vel soli directo moraliter certo de veritate; vel huic simul cum iudicio reflexo de objectivâ certitudine certatus, n. 16. & 17.

Nov